

R# 27. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

II 26.

SIGNAT. CIIOCCCXIII.



In Epilio sibi et suis, ex Osi. beneu.
dictione comparavit Joh:

Burius, f^o 1675

- (1) Histor: della Ribell: Overdu
Calav: 4 (aliv (2: 8 vendebat:)
- (2) Orati: Ambros: in Aug: (al: 3.
- (3) S: Raiser-6 Abs: Brief: Prof:
T Bone (aliv vendebat 3.)
- (4) Moller: Gino (al: 2.

Compa t: (al: 4.

oro glorioso gloria
Pro qui et in Epilogretia!

Hung. III. 8.
a.) gehört zu Hung. IV
b.) fehlt bei Trabi
682

c.) fehlt bei Trabi
646
d.) Trabi III. 2662.
640 339
e.) Trabi III. 2620.
338

Bibliothek
des UNIVERSITÄTENS INSTITUTS
an der UNIVERSITÄT

KW 1520



D. AMBROSII IN 2
AUXENTIUM

De

Basilicis traden-
dis invehentis, suosq; ad
constantiam exhor-
tantis

ORATIO,

Nec Non

Ad Marcellinam Sororem
EPISTOLA:

Observationibus Ecclesiasti-
cis & Parallelis illustrata:

ab

H. V. S. L. I. E. E. S. V. P.

Antiquitatis & Orthodoxiæ
Studio.

WITTEBERGÆ,

Sumptibus Hæred. D. TOBIÆ MEVII
& ELERDI SCHUMACHERI,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typ.
ANNO M. DC. LXXIV.

D. AMBROSII IN
AUXENTIUM

Basilicis tradidit
de theologia, iudicij ad
constantiam exort.

O R A T I O

Nec Non
Ad Marcellinum Sororum
EPISTOLA

Observationibus Basilicis
de Parallelis Illustratis

H. V. S. L. I. E. S. V. P.
Adipiscitur & Omnia
Sedulo

WYTERBON
Scripsit in Hildes, D. J. C. M. C. C. L. I.
& ERARDUS SCHMIDT
I. M. A. T. H. A. E. I. N. G. O. L. I. S.
ANNO M. D. C. LXXII.



*Prologus Galeatus in Oratio-
nem & Epistolam S. Am-
brosii.*

Nter mutuos, quos
amici quidam turbulen-
tis hisce temporibus cæ-
dere solebant, sermo-
nes familiares, frequenter etiam
mentio injecta fuerat persecutio-
nis & reformationis Hungaricæ,
occasionem ea de re sermocinandi
subministrantibus quam plurimis
exulibus, qui miseris suis quiritæ-
tionibus universam prope Germa-
niam jam compleverunt; narra-
bant autem illi talia, quæ ægre cre-
dere poteramus. Ecquis enim sibi
persuadere posset, eos homines, qui

2.
Pastores, episcopi, & archi-episcopi
audire volunt, monumenta in-
credibilis ἀπαιθρωπίας καὶ ἀπηνείας
de se extare, totique mundo pro-
palare secum constituisse? Unde
persæpe mecum & alij optarunt, ut
persecutionis istius dirissimæ histo-
rica narratio per typos publicos in-
vulgaretur. Votum eventus non
frustratus est. Nam præter *Colloqui-
um Germanicum*, sub nomine *Treu-
liebii & Freymundii* in lucem editum
lectuque dignissimum, prodiit et-
iam alicujus *Reinmundi Rimandi* Indi-
cina historica, vernaculo sermone
pariter conscripta, in qua ab ovo o-
mnia recensentur, quæ tempore
persecutionis Posoniensis contige-
runt. Avide legi tractatum istum,
cujus Auctori haud exiguas histo-
ria ecclesiastica nostri temporis de-
bet gratias, sed nec sine summa
commiseratione, consternatione &
stu-

stupore eundem perlegi : ea enim
 simplici tantum filo ac stilo, pro uti
 fuerunt gesta, inibi referuntur,
 quæ fortassis totus mundus pro me-
 ris figmentis, & calumniis esset ha-
 biturus, nisi res sole meridiano
 nunc esset clarior. Conveniunt
 omnia, quæ Rimandus ille conges-
 sit, exactissimè, cum iis rebus, actis
 & factis, quæ nobis exules numero
 haud pauci ore tenus exposuerunt,
 ut adeò narratio Rimandiana, quæ
 nunc Diario Europæo, cuius in pu-
 blicis hodie aliqua est auctoritas,
 etiam est inserta, tamdiu certam
 mereatur fidem, quamdiu contra-
 rium non fuerit demonstratum.
 Mirum est, adversarios August.
 Confessionis tam ægre ferre notam
 illam in cantiuncula ecclesiastica
 collationem Turcæ & Papæ: sed de-
 sistant sacerdotes Papæ, Evangeli-
 cos vexare ut Turcæ Christianos so-

lent, desistent quoque nostrates, ni fallor, Papam cum Turca comparare. Cum Ariani S. Athanasio ignaviam exprobrarent, quod fuga sibi consuleret, respondit ille: *Si fugam exprobrant, erubescant potius ipsi qui persequuntur. Cessent ab insidiis, & statim fugere desistent hi, qui fugiunt.* Quamvis non putem, Turcicos Bassas in Christianos tam duros esse, quā iniquos sese adversus Evangelicos episcopi Hungarici præbuerunt. Sed & hi fortassis mitiores se exhiberent, si rerum Theologicarum ampliore haberent cognitionem; at cum se plerumque duci patiantur à monachis, præsertim Jesuitis, tanquam lignum alienis mobile nervis, mirum non est, odio ipsos in ecclesiam orthodoxam inflammari Vatiniano, quo sodalitia religiosorum tantum non conflaurant. Apud episcopum Neostadiensem faces

ces subdidisse ferunt Jesuitam quendam, *Fabrum* nomine, qui nunc perit. Hunc cum celebrem controversiarum tractatorem novellæ appellare solerent, ob eam causam non semel quæsi ex viris partim antiqua profapia illustribus, partim eruditione claris, quique ipsum frequenter concionantem audiverunt, quid de ipso sentirent? responderunt illi, insignem esse turbonem, & demagogicum declamatorem, ac omnino unum ex illis, qui publice profiteri non vereantur, hæreticis non esse servandam fidem, sed agendum cum iis esse juxta leges ab Imperatoribus in Manichæos, Donatistarum circumcelliones, & ejusce fuffuris nebulones alios, latus. At probare debuisset bonus Vir, Lutheranos Reges, Principes, Status, Magnates & Doctores, Manichæorum & circumcellionum esse

se similes. Facile interim mihi per-
 svadeo, Jesuitam nihil potuisse pro-
 ferre, quod non diu antea, & qui-
 dem nervosissime, fuerit confuta-
 tum ab insigni Jcto Argentinensi,
Justo Meyero, in eximio tractatu
 quem contra *sanguinarium C. Schoppij*
classicum ante hos 50. annos edidit.
 Verum cum scriptis editis in publi-
 cum prodire nunquam fuerit ausus
 ille Faber, non habemus quod de
 ipso amplius dicamus. Nisi forsan
 hominem, ex charta illa inerudita
 & infami, quam *Johannes Theophi-*
lus Klibnitz, Fabro vel dictante vel
 consentiente, contra Virum claris-
 simum *Val. Alberti, S. S. Theol. Licen-*
tiatum & Professore Lipsiæ peregregium,
 edidit, & in ea virulentum animū
 suum adversus professores Augu-
 stanæ Confessionis renudavit, tan-
 quam ex ungue leonem cognosce-
 re liceat, sed is præmium inscitiae
 &

& improbitatis jam dudum à laudato illo Lipsiensium Theologo reportavit. Ex eodem, hominum scilicet nobis infestissimorum, censu se esse aperte professus est alius Jesuita & Missionarius, nomine *Arnoldus Angelus*, ater an albus sit, non curo, quamvis ex verbis ipsius judicium sumi possit, quam ad classem referri mereatur. Is Anno 1666. *Micropragæ* extruxit *Ædem virtutis & honoris*, quo in libro, Græcæ pariter & Latinæ poeseos egregie peritum, sed & egregium infensissimumque Lutheranorum hostem se esse prodit. Arnoldus iste p. 145. Lutherum vocat *perditissimum terræ filium*, *Sacrarumque Literarum perversissimum interpretem*, quin etiam Reformatorem & Servum Dei eximium comparat cum *Magno Magoro portentosa libidine inquinatissimo*. Sed heus, o bone, legitime aliquando scripta Lutheri?

A 5

Non

Non credam tibi etiam jurato, ne
dum nude asserenti. Qvi vel so-
lam B. Viri Genesin legerit, aliter
pronunciabit. Mihi certum est,
Papam tuum, cum omni Cardi-
nalianum senatu, sacram scripturam
tam fideliter exponere nullum
nosse. Quid de tuis interpreta-
mentis sit expectandum, ex eo con-
stare potest, quod pag. 337. *S. Virgis*
nem Mariam, Dianam, hoc est, de
astram gentilem, & *Gabrielem, Ar-*
chithereutam, id est, venatorum Principē,
dictis quibusdā sacrae scripturae mi-
rifice huc detortis, licentia plus-
quam poëtica in sermone proso ap-
pellare sustines. Vixit Lutherus in
conjugio, sed ἀμύαντα. Si mago-
ros quæris in Europa, præsto erunt
Romæ Alexandri, Pauli, Ju-
lii & alii: Qvi quæ vult dicit,
quæ non vult dicier, audit. In
dedicatione chartaceæ illius ædis
Celsis.

Celsissimum Principem Carolum, Episcopum Olomucensem, Praesulum Sacerrimum & Zelantissimum nominat, eaque propter vel maximè deprædicat, quod Ecclesias & domos tanquam Janus sacer aperuerit, quæ hætenus fuerint Augiæ stabula, haræ Luderæ & volutabra, non aræ. Hoc tu quidem dicis, sed Lutherani contra apud DEUM suum, verum illum & Omnipotentem de te tuique similibus querulantur, quod vineam Domini exterminaverit aper de sylva, & singularis ferus depastus sit eam, ut habetur in versione vulgata Psalmi 79. quem, nec non Psalm. 73. (Hebr. 74.) immaniter à vobis pressi fideles Christi, contra vos quotidie recitare coguntur. Hisce incētorib⁹ nonnullorū Præsulū Romanēsium iræ adversus nos accenduntur, cum enim ipsi, invito quidem Apostolo 2. Tim. 2. 4. & contra praxin episcoporum ecclesiæ veteris, πραγµατείας hujus sæculi nimium quantum sint implicati, & ut verbo

bo

bo Polybiano utar, συνυποκρίσεις πολιτικῆ, quam barbari rationem status vocant, inservire teneantur, fieri nequit, ut ipsimet accuratæ sacrarum literarum meditationi & controversiarum fidei examinationi multum vacent, sed aures suas inimicis nostris nimis patulas præbeant. Cumque se Legatos natos sedis Apostolicæ, & à Jurisdictione Magistratus politici exemptos esse gloriantur, fit inde, ut, nesciis quandoque, & invitis probissimis Principibus, fideles subditos Dominorum suorum, & Christi confessores, diris modis exagitent. Verum enimvero, cum nihil sub sole novi accidat, iisdem prope rationibus, quibus nunc Episcopi quidam Pontificii ad extirpandam Augustan. Confessionem uti solent, olim primo pagani ad Christianismum, deinceps verò Ariani ad Catholicismum

smum extirpandum usi fuerunt ; justo id demonstrare possemus commentario, sed sufficiet hac vice testimonium S. Ambrosii, ab Arianis patrociniò Justinæ Augustæ subnixis, A. C. 387. vehementer divexati. Hujus invectivam in Auxentium, & epistolam ad sororem, insignem adversus Deum pietatem, erga Imperatorem obsequiosissimum, mascula tamen admonitione attemperatum cultum, Zelum pro domo Dei ardentissimum, ac alias eximias veri Sacerdotis & Episcopi virtutes spirantem, observationibus quibusdam ecclesiasticis & parallelis illustrare, nostramque opellam pie eruditorum judicio & censuræ submittere constituimus. Factum autem hoc est : non, (quod quidem nemo mediocriter doctus vel suspicari poterit) quasi episcopos Hungariæ, Arianæ hæreses insimulare vellemus, sed ut nostros, si fortassis dignum esset hoc opusculum, quod ederetur, tam illustri atque ex antiquitate ecclesiastica petito exemplo corroboraremus, iisque ob oculos poneremus, consimiles afflictiones jam olim

olim fratres suos, Christianos veteres, perpeſſos fuiſſe; De Cætero, ſi licet adverſariis facta Auxentii æmulari, cur non liceret nobis verba Ambroſii mutuari? Vos verò, Chariffimi, (dicimus cum S. Petro, cujus fidem & religionem integram & illibatam tenemus & cuſtodimus) nolite peregrinari in fervore (qui ad tentationem vobis fit) quaſi novi aliquid vobis accidat, ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriae ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriae & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcet, nemo autem veſtrum patiatur, quaſi homicida, aut fur, aut maleſicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubescat, glorificet autem Deum in iſto nomine, quoniam tempus eſt, ut incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primū à nobis, quis finis eorū, qui non credunt Dei Evangelio? Et ſi juſtus quidem vix ſalvatur, impius & peccator ubi parebunt? Itaq; & hi qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas ſuas in beneficiis.

Divi



*Divi Ambrosii in Auxentium
de basilicis tradendis invehen-
tis, suosq; ad constantiam atq;
tolerantiam exhortantis,*

O R A T I O.

Ideo vos præter soli-
tum subito esse tur-
batos, atq; asservan-
tes mei. Miror quid hoc sit, ni-
si forte quia per tribunos me
vidistis aut audistis imperiali
mandato esse conventum, ut
quo vellem abirem hinc, & si
qui

qui vellent, sequendi potesta-
 tem haberent. *Metuistis er-*
go, ne ecclesiam desererem, Et
dum saluti meæ timeo, vos re-
liquerem? sed quid & ipse
 mandaverim, potuistis ad-
 vertere, deserendæ ecclesiæ
 mihi voluntatem subesse non
 posse, quia plus (α) Dominū
 mundi quam seculi huius im-
 peratorem timerem. Sanè si
 me vis aliqua ab ecclesiâ ab-
 duceret, carnem meam ex-
 turbari posse, non mentem.
 Paratum me esse, ut si ille fa-
 ceret quod solet esse regiæ po-
 testa-

testatis, ego subirem, quod
 sacerdotis esse consuevit.
 Quid ergo turbamini? volens
 nunquam jus deseram, *coa-*
ctus repugnare (ε) non novi.
Dolere potero, potero flere, po-
tero gemere: aduersus arma,
milites, Gotthos quoque, la-
chrymæ meæ arma sunt. Talia
enim munimenta sunt sacer-
dotis. Aliter nec (γ) debeo nec
possum resistere. Fugere autem
ε relinquerē (δ) ecclesiam non
soleo, ne quis gravioris poenæ
metu factum interpretetur.
 Scitis & vos ipsi, quod impe-
 rato-

ratoribus soleam deferre, non
cedere; suppliciis me libenter
offerre, nec metuere quæ pa-
rantur. Utinam essem secu-
rus quod ecclesia hæreticis
minime traderetur, ad pala-
tium imperatoris irem liben-
ter, si hoc congrueret Sacer-
dotis officio, ut in palatio ma-
gis certarem, quam in eccle-
sia. Sed in consistorio non re-
us solet Christus esse, sed ju-
dex. Causam fidei in ecclesiâ
agendam quis abnuat? si quis
confidit, huc veniat, inclina-
tum jam vel imperatoris judi-
ci-

cium, quod lata lege patefe-
 cit, quo impugnat fidem, vel
 operata ambientium quorū-
 dam studia non requirat.
 Non committo ut quisquam
 vendat injuriam Christi. *Cir-
 cumfusi milites, armorū cre-
 pitus, quibus vallata est eccle-
 sia, ~~sed~~ ~~mentē~~ ~~exagitant~~ ~~ne~~ ~~dum~~ ~~me~~ ~~terretis~~,
 sed mentē exagitant, ne dum
 me terretis, perniciosum ali-
 quid vestræ oboriatur saluti.
 Ego enim jam didici non ti-
 mere, sed vobis timere plus
 coepi. Sinite quæso vestrum
 sacerdotem congregari: habe-
 mus*

mus

mus adversarium qui lacescit.
Adversarius enim noster dia-
bolus sicut leo rugiens circu-
it quærens quem devoret, ut
Apostol. dixit. Accepit sine
dubio, accepit, non fallimur,
sed admonemur, tentandi
hujusmodi potestatem, ne
forte corporis mei vulneribus
possim à fidei intentione re-
vocari. Legitis & vos quia
multis aliis tentavit sanctum
Job diabolus, ad postremum
potestatem hujusmodi petiit
& accepit, ut tentaret corpus
ejus, quod perfudit ulceri-
bus.

bus. (ε) Cum esset propositū,
 ut ecclesie vasa jam tradere-
 mus, hoc respondi reddidi, me si
 de meis aliquid posceretur,
 aut fundus aut domus, aut au-
 rum aut argentum, id quod
 mei juris esset, libenter offer-
 re: templo Dei nihil posse de-
 cerpere: nec tradere illud
 quod custodiendum non
 tradendum acceperim. De-
 inde consulere me etiam
 imperatoris saluti, quia nec
 mihi expediret tradere, nec
 illi accipere. Accipiat enim
 vocem liberi sacerdotis, si vult
 sibi

sibi esse consultum, recedat à
 Christi injuria. *Hæc plena hu-*
militatis sunt, Et ut arbitror,
plena affectus ejus quem im-
peratori debet sacerdos. Sed
 quia lucta nobis est non so-
 lum adversus carnem & san-
 guinem, sed etiam, quod gra-
 vius est, adversus spiritualia
 nequitiæ, quæ sunt in cœlesti-
 bus, tentator ille diabolus per
 ministros suos certamen au-
 get, vulneribus corporis mei
 experiendum arbitratur. Scio
 fratres vulnera hæc quæ pro
 Christo excipimus, non esse
 vul-

vulnera quibus vita amittitur, sed propagatur. Sinite quæso esse certamen, spectatores vos esse decet. Considerate, quia si quem habet civitas vel athletam, vel alterius nobilis artis peritum, optat offerre certamini. Cur in majoribus rebus repudiatis, quod vel in minoribus velle consvestis? Non metuit arma, non barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur. Certè si Dominus huic nos certamini deputavit, frustra pervigiles tot noctibus

ctibus & diebus custodias ex-
 hibetis; implebitur Christi vo-
 luntas, Omnipotens enim
 noster est Dominus Jesus, hæc
 est fides nostra & ideo quod
 fieri mandat, implebitur, nec
 convenit vos divinæ obviare
 sententiæ. Audistis quod ho-
 die lectum sit, pullum sibi a si-
 næ salvator per Apostolos jus-
 sit adduci, mandavitq; , ut si
 quis resisteret, diceretur, Do-
 minus operam ejus desiderat.
 Quid si & nunc pullum istum
 asinæ, hoc est, animalis, quod
 gravem sarcinam portare cõ-
 sve.

fvevit, sicut est humana con-
 ditio, cui dicitur, venite ad
 me omnes qui laboratis & o-
 nerati estis, & ego vos refici-
 am, tollite jugum meum quia
 est leve; quid si, inquam, pul-
 lum istum ad se modo iussit
 adduci, missis apostolis, illis
 qui jam exuti corpore, incō-
 prehensibilem oculis nostris
 angelorum speciem gerunt:
 nonne si ab aliquo resistatur,
 dicent: Dominus operam e-
 jus desiderat? si resistat vel vi-
 tæ hujus cupiditas, si resistat
 caro & sanguis, si resistat con-

B

ver-

versatio corporalis, quia ali-
 quibus forsitan grati videmur;
 sed qui nos hic diligit, multo
 amplius diliget, si sinat fieri
 hostiam Christi, quia dissolvi
 & cum Christo esse multo
 melius, etsi manere in carne,
 magis necessarium propter
 vos. Nihil est ergo quod ve-
 reamini fratres dilectissimi.
 Scio enim quia quicquam pas-
 sus fuero, pro Christo patiar.
 Et legi quod eos timere non
 debeam, qui possunt carnem
 occidere. Et audivi dicen-
 tem, qui perdiderit animam
 suam

suam propter me, inveniet e-
 am. Ergo si vult Dominus,
 certum est quod nullus obfi-
 stat. Quod si adhuc nostra
 differt certamina, quid vere-
 mini? servum Christi non cu-
 stodia corporalis, sed Domi-
 ni providentia sepire consve-
 vit. Turbati estis quia aper-
 tas reperistis geminas fores,
 quas captus oculis quidā dum
 hospitium proprium repetit,
 patefecisse memoratur. In
 quo cognoscite quod nihil
 suffragetur humana custodia.
 Ecce unus qui videndi manus

B 2 ami-

amittit, solvit vestra universa
munimina, & custodias lufit:
Dominus autem suæ miseri-
cordiæ custodiam non ami-
fit. Nonne ante biduum, ut
meministis, etiam illud reper-
tum est, quod à parte læva ba-
silicæ ingressus quidam pervi-
us fuit, quem putabatis clau-
sum atque munitum esse?
Sepserunt nempe armati ba-
silicam, explorabant hos atque
illos aditus, coecitate sunt per-
fusi, ut quod apertum erat,
videre non possent. Itaque
per plurimas noctes quod a-
per-

pertum fuerit, non ignoratis.
 Desinite ergo sollicitari, quia
 hoc erit quod Christus jubet,
 & hoc esse expedit; Denique
 exempla legis vobis proferā.
 Helisæus quærebatur à rege
 Syriæ, missus erat exercitus,
 qui eum caperet, circumval-
 latus undique, cœpit timere
 ejus servulus, quia servulus e-
 rat, hoc est, non erat liberæ
 mentis, & liberæ potestatis.
 Petivit aperiri ejus oculos
 sanctus propheta & ait: Re-
 spice & vide, quanto plures
 sint pro nobis quam contra; &

B 3 respe-

respexit & vidit angelorum
millia. Advertitis igitur quod
servulos Christi ii magis cu-
stodiunt qui non videntur,
quam qui videntur. Sed & il-
li si custodiunt, vestris custo-
diunt orationibus advocati.
Legistis nempe eos ipsos qui
Helisæum quærebant, ingres-
sos esse Samariã ad eum ipsum
quem capere gestiebant: cui
non solum non potuerunt
nocere, sed ipsius adversus
quem venerant, interces-
sione servati sunt. Petrus quo-
que Apostolus utriusque rei
vobis

vobis edat exemplum , nam
 ubi eum Herodes quæſivit &
 cœpit , recepit in carcerem.
 Non enim recesserat Dei ser-
 vulus , sed steterat timoris
 ignarus. Orabat pro eo Ec-
 clesia, sed Apostolus in carce-
 re quiescebat , quod est indi-
 cium non timentis. Missus
 est angelus qui dormientem
 excitaret , per quem Petrus
 productus est è carcere, mor-
 tem ad tempus evasit. Idem
 Petrus post ea victo Simone,
 cum præcepta DEI populo
 seminaret, doceret castimo-
 niam,

niam, excitavit animos gentili-
tium, quibus eum quaerentibus
Christianæ animæ deprecatae sunt,
ut paulisper cederet. Et quamvis
esset cupidus passionis, tamen
contemplatione populi precantis
inflexus est. Rogabatur enim,
ut ad instituendum & confir-
mandum populum se refer-
varet. Quid multa? nocte
muro egredi coepit, & videns
sibi in porta Christum occur-
rere, urbemque ingredi, ait,
Domine quo venis? respon-
dit Christus, venio iterum,
cru-

crucifigi. Intellexit Petrus ad
 suam crucem divinum per-
 tinere responsum. Christus e-
 nim non poterat crucifigi, qui
 carnem passione susceptæ
 mortis exuerat. Quod enim
 mortuus est, mortuus est se-
 mel, quod autem vivit, vivit
 Deo. Intellexit Petrus quod i-
 terum Christus crucifigen-
 dus esset in servulo. Itaque
 sponte remeavit, interrogan-
 tibus Christianis responsum
 reddidit, statimq; correptus,
 Christum Jesum per crucem
 suam honorificavit. videtis i-

B5

gitur

gitur quod in servulis suis pa-
ti velit Christus. Quid si &
huic servulo dicit, illum volo
sic manere, tu autem me se-
quere, & de hac arbore gusta-
re vult fructum? nam si illius
cibus erat, ut faceret volun-
tatem patris, idem cibus illi-
us est, ut nostris passionibus
epuletur. Nonne ut de ipso
domino sumamus exemplū,
quando voluit passus est, &
cum quæreretur, inventus
est? Quando autem hora pas-
sionis non venerat, per medi-
um quærentium transit, & vi-
den-

dentes eum tenere non pote-
 rant. Quo utiqve evidenter
 ostendit, qvia quando Domi-
 nus vult, unusquisqve inve-
 nitur & capitur. Quando au-
 tem differt, etiam si qværen-
 tium manibus occurrat & o-
 culis, non tenetur. Ego ipse
 non quotidie vel visitâdi gra-
 tiâ prodibam, vel pergebam
 ad martyres, non regiam pa-
 latii prætexebam eundo atq;
 redeundo ? & tamen nemo
 me tenuit, cum exturbandi
 me haberent, ut prodiderunt
 postea, voluntatem, dicentes:

B 6

Exi

Exi de civitate, & vade quo vis. Expectabam fateor magnū aliquid, aut gladium pro Christi nomine, aut incendium. At illi (?) delicias mihi pro passionibus obtulerunt, sed athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos turbet, quod aut carrum præparaverant, aut dura, ut videbatur sibi, Auxentii ipsius, qui se dicit Episcopū, ore jactata. Plerique narrabant percussores præmissos, poenam mortis esse decretā, nec illa timeo, & ista non desero;

lero; quo enim abibo, ubi non
 omnia (n) plena gemitus sint
 atque lacrymarum, quando
 per ecclesias iubentur ejici ca-
 tholici sacerdotes, resistentes
 gladio feriri, curiales proscri-
 bi omnes, nisi mandatum im-
 pleverint? Et hæc episcopi ma-
 nu scripta, atque ore dictata,
 qui se ut probaret doctissimū,
 vetus non omisit exemplum,
 legimus enim in Propheta
 quod viderit falcem volantē.
 Hanc imitatus Auxentius,
 gladium volantem per omnes
 urbes direxit. Et Satanias
 trans-

transfigurat se in angelum lucis, & in malum imitatur ejus potentiam. *Tu Domine JESU uno momento mundum redemisti, Auxentius uno momento tot populos, quod in ipso est, trucidabit, alios gladio, alios sacrilegio. Meam basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus, cui bene praesens respondit lectio: Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas? id est, non convenit paci & furori, non convenit Christo & Belial. Meministis etiam quod lectum est hodie*

hodie: Nabuthe sanctum vi-
 rum possessorem vineæ suæ
 interpellatum petitione re-
 gia, ut vineam suam daret, u-
 bi rex succisis vitibus olus vi-
 le sereret, eumque respondi-
 se, absit ut ego patrum meo-
 rum tradam hæreditatem.
 Regem contristatum esse,
 quod sibi esset alienum jus re-
 latione justa negatum, sed
 muliebri consilio deceptum.
 Nabuthe vires suas vel pro-
 prio cruore defendit. *Si il-
 le vineam non tradidit, nos
 trademus ecclesiam Christi?*
 Quid igitur à me responsum
 est

est contumaciter? dixi enim
 conventus, absit à me ut tra-
 dam Christi hæreditatem, si
 ille patrum hæreditatem non
 tradidit, ego tradam Christi
 hæreditatem? sed & hoc ad-
 didi, absit ut tradam hæredi-
 tatem patrum, hoc est, *hære-
 ditatem (9) Dyonyssii, qui in
 exilio in causa fidei defunctus
 est: hæreditatem Eustorgii
 confessoris, hæreditatem My-
 roclis, atque omnium retro
 fidelium episcoporum. Re-
 spondi ego quod sacerdotis est,
 quod imperatoris est, faciat*

im-

Imperator, prius est, ut animam mihi quam fidem auferat. Ac cui tradam, praesens lectio Evangelii nos debet docere, quid petatur, à quibus petatur. Audistis nempe legi, quod cum Christus super pullum asinae sederet, clamabant pueruli, & moleste ferebant Judaei. Denique interpellaverunt Dominum Jesum dicentes: ut faceret eos tacere, respondit, si hi tacebunt, lapides clamabunt: deinde ingressus in templum ejecit nummularios, & cathedras,

dras, & colnmbas vendentes
in templo Dei. Lectio nempe
ista nulla nostra dispositione
recitata est, sed casu, quæ præ-
sentibus bene aptatur tempo-
ribus. Semper ergo Christi
laudes verbera perfidorum
sunt. Et nunc cum laudatur
Christus, *dicunt hæretici ()*
quia seditio commovetur, di-
cunt hæretici quia his mors
paratur, & vere mortem ha-
bent in laudibus Christi. Quo-
modo enim laudes ejus ferre
possunt, cujus infirmitatem
prædicant? itaq; & hodie cum
lau-

laudatur Christus, Arianorū
amentia verberatur. Gerase-
ni præsentiam Christi ferre
non poterant, isti pejores Ge-
rasenis nec laudationē Chri-
sti sustinere possunt. Vident
pueros Christi gloriam con-
cinentes, quia scriptum est,
*Ex ore infantium & lacten-
tium perfecisti laudem*: irri-
dēt istam ætatulam fidei ple-
nam, cum dicunt: ecce quid
clamant? sed respondit iis
Christus, *si hi tacuerint, lapi-
des clamabunt*: hoc est, for-
tiores clamabunt, clamabunt
& ju-

& juvenes, clamabunt & ma-
turiore, clamabunt & senes,
isti lapides ad illum jam soli-
dati lapidē, de quo scriptum
est, *lapidem quem edificantes
reprobarunt, hic factus est in
caput anguli.* His igitur lau-
dationibus invitatus suum
templum Christus ingredi-
tur, & flagellum prehendit, &
ejicit de templo nummulari-
os. Nō patitur enim in suo tē-
plo esse pecuniæ vernaculos,
non patitur in suo templo esse
eos

eos qui vendant cathedras.

Quid sunt cathedræ, nisi ho-

nores? quid sunt columbæ, ni-

si simplices inētes vel animæ,

fidem candidam & puram se-

quentes? ego ergo inducam

in templum, quem Christus

excludit? jubetur enim exire

qui dignitates vendit & ho-

nores; jubetur enim exire qui

vendere vult simplices men-

tes fidelium. Ergo Auxenti-

us ejicitur, Mercurinus ex-

cluditur. Unum portentum

est, & duo nomina. Etenim

ne cognosceretur quis esset,

mu-

mutavit sibi vocabulum, ut quia hic fuerat Auxentius episcopus Arrianus, ad decipiendam plebem quam ille tenerat, se vocaret Mercurinum. Mutavit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutavit. Exiit lupum, & induit lupum: nihil prodest quod mutavit nomen, quid sit agnoscitur. Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic vocatur, nomina pro regionibus habet. Habet ergo jam duo nomina, & si hinc alio perrexerit, habebit & tertium.

Qvo-

Quomodo enim patietur ut
 maneat ei vocabulū ad tanti
 sceleris indicium? minora fe-
 cit in Scythia, & ita erubuit,
 ut mutaret vocabulum: sce-
 leratiora hic ausus est, & vo-
 let, quocunqve perrexerit, no-
 mine suo prodi tantorum po-
 pulorum sanguinem? manu
 sua scribet, & poterit confi-
 stere animo? paucos exclude-
 bat Dominus Jesus de templo
 suo, Auxentius nullum reli-
 quit. *De templo suo Jesus (x)
 flagello eiecit, Auxentius gla-
 dio.* Jesus flagello, Mercu-
 rinus

rinus securi. Pius Dominus
 flagello exturbat sacrilegos,
 nequam persequitur pios fer-
 ro. De quo bene dixistis ho-
 die: *Leges suas secum ferat,*
feret etiam si nolit, feret con-
scientiam suam; etsi non fert
chartulam, feret sanguine in-
scriptam animam suam, etsi
atramento inscriptam episto-
lam non feret. Scripta est
 Juda culpa tua graphio fer-
 reo, & ungue adamantino, &
 scripta in pectore tuo, hoc est,
 ibi scripta unde processit. Is
 mihi etiam audet mentionē
 face-

facere retractandi, plenus sanguinis, plenus cruoris? *Qui quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, (λ) cruentas leges ore dictans, manu scribens, & putans quod lex fidem possit hominibus imperare. Non audivit & id quod hodie dictum est, quoniam homo non justificatur ex operibus legis? aut per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam? id est, per legem spiritualē interpretatione legis est mortuus corporali; Et nos per legem Domini nostri*

C

Jesu

Jesu Christi moriamur huic
legi, quæ sancit decreta perfidi-
diæ. Non lex ecclesiam con-
gregavit, sed fides Christi. Lex
enim non est ex fide, (*μ*) *ju-*
stus autem ex fide vivit. Justū
ergo fides, non lex facit, quia
non est per legem justitia, sed
per fidem Christi. Qui au-
tem fidem repudiat, & legis
jura præscribit, ipse se testatur
injustum, quia justus ex fide
vivit. Hanc ergo legem quis-
quam sequatur, qua firmatur
Ariminense concilium, in
qua creatura dictus est Chri-
stus?

stus? sed ajunt, misit Deus fili-
 um suum factum ex muliere,
 factum sub lege, ergo factum
 legunt, *hoc est*, creatum. Non-
 ne hoc ipsum considerant,
 quod proposuerunt, quia fa-
 ctus dicitur Christus, sed ex
 muliere? hoc est, secundum
 partum virginis factus est, qui
 secundum divinam genera-
 tionem ex patre natus est. Le-
 gerunt & hodie, quia Christus
 nos redemit de maledicto le-
 gis, factus pro nobis maledi-
 ctum. Nunquid Christus se-
 cundum divinitatem male-

dictum est? sed quare maledictum dicatur, Apostolus te docet, dicens: *quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno*, hoc est, qui in carne sua nostram carnem, in suo corpore nostras infirmitates & nostra maledicta suscepit, ut crucifigeret, non enim ille maledictus, sed in te maledictus. Denique habes alibi, *qui peccatum non cognovit, sed peccatum pro nobis factus est*, quia nostra peccata suscepit, ut sacramento suæ passionis aboleret. Hæc ego fratres coram

coram iplo apud vos plenius
 disputarem, sed certus non i-
 gnaros vos esse fidei, vestrum
 refugit examen, & gentiles
 quatuor aut quinque ferme
 eligit homines cognitores si-
 bi, si tamen aliquos elegit,
 quos vellem adesse in coetu
 omnium, non ut de Christo
 judicent, sed ut majestatem
 Christi audiant. Tamen illi
 jam de Auxentio pronuncia-
 verunt, *cui tractanti quotidie*
(v) non crediderunt. Quæ
 major ejus condemnatio,
 quam quod sine adversario
 C 3 apud

apud iudices suos victus est?
Ergo & ipsorum sententiam
contra Auxentium jam tene-
mus, & quod gentes elegit, ju-
re damnandus est, quia Apo-
stoli praecepta dimisit, cum
Apostolus dicat: *Audet ali-
quis vestrum adversus alte-
rum habens negocium, judica-
ri apud iniquos, & non apud
sanctos, aut nescitis quoniam
sancti de hoc mundo judica-
bunt? & infra ait, sic non est
inter vos sapiens quisquam
qui possit judicare inter fra-
tres, sed frater cum fratre ju-
dicio.*

dicio contendit, & hoc apud
 infideles? vides quia quod ille
 obtulit, contra auctoritatem
 apostoli sit? vos eligite (&) u-
 trum Auxentium an Paulum
 sequi debeamus magistrum.
 Sed quid dicam de apostolo,
 cum ipse Dominus clamet
 per prophetam, Audite me
 populus meus, qui scitis judici-
 um, quorum in corde lex mea
 est. Deus dicit, audite me po-
 pulus meus, qui scitis iudiciū.
 Auxentius dicit, nescitis iudi-
 cium. Videtis quia iam De-
 um contemnit in vobis, qui
 C 4 sen-

sententiam caelestis refutat oraculi. Audite me, inquit, populus meus, dicit Dominus, non dicit, audite gentes, non dicit, audite Judæi. Jam enim populus Dei qui fuerat, populus erroris est factus, & qui populus erroris erat, populus Dei esse coepit, quia in Christum credidit: iste ergo populus judicat, cujus in corde lex divina est, non humana, lex non atramento scripta, sed spiritu DEI vivi, non in charta exarata, sed in corde signata, *lex gratiae, non cruoris.*

ris. Qvis igitur vobis injuri-
 am facit, qui recusat vestram,
 an qui eligit audientiam? *Conclusus* (o) *undique ad*
versutiam patrum suorum
confugit, de imperatore in vi-
diam vult commovere, dicēs,
 judicare debere adolescentē
 catechumenum, sacrae lectio-
 nis ignarum, & in consistorio
 judicare. Quasi vero anno
 superiore, quando ad palatiū
 sum petitus, cum praesentibus
 primatibus ante consistoriū
 tractaretur, cum imperator
 basilicam vellet eripere, ego

C 5

tunc

tunc aulæ contemplatione
 regalis infractus sim, constan-
 tiam non tenuerim sacerdo-
 tis, aut imminuto jure disces-
 ferim: nonne meminerunt,
 quod ubi me cognovit popu-
 lus palatium petisse, *ita irru-
 it, ut vim ejus ferre non pos-
 sent, quando comiti militari
 cum expeditis ad fugandam
 multitudinem egresso, obtule-
 runt se omnes neci pro fide
 Christi.* Non tunc rogatus
 sum, ut populum multo ser-
 mone mulcerem? sponderem
 fidem, quod basilicam eccle-
 siæ

siæ nullus invaderet? Et cum
 pro beneficio meum sit offi-
 cium postulatum, tamen
 quod populus ad palatium
 venisset, mihi invidia com-
 mota est. In hanc igitur in-
 vidiam me redire desideranti:
 revocavi populum, & tamen
 invidiam non evasi, quã qui-
 dem invidiam ego temperan-
 dam arbitror, non timendã.
 Quid enim timeamus pro
 Christi nomine? *nisi forte il-
 lud movere me debet quod a-
 junt: Ergo non debet (π) im-
 perator unam basilicam acci-
 pe-*

pere ad quam procedat, &
 plus vult Ambrosius posse,
 quam imperator, ut impera-
 tori prodeundi facultatem ne-
 get? quod cum dicunt, appre-
 hendere sermones nostros ge-
 stiunt, sicut Judæi qui Chri-
 stum versuto sermone tenta-
 bant, dicentes: Magister li-
 cet tributum dare Cesari, aut
 non? semperne de Cesare ser-
 vulis DEI invidia commove-
 tur? & hoc ad calumniam si-
 bi arcescit impietas, ut impe-
 riale nomen obtendat? & isti
 possunt dicere, quod eorum non
 habe-

habeant sacrilegium, quorum
(π) imitantur magisterium?
 Et tamen videte, quanto Ar-
 riani peiores sint quam Judæi.
 Illi quærebant, utrum solven-
 dum putaret Cæsari jus tribu-
 ti, isti imperatori volunt dare
 jus ecclesiæ. Sed ut perfidi
 suum sequuntur autorem, ita
 & nos, quæ nos Dominus &
 autor noster docuit, respon-
 deamus. Considerans enim
 Jesus dolum Judæorum, di-
 xit ad eos: *quid me tentatis?*
ostendite mihi denarium; Et
cum dedissent, dixit: cuius i-
ma-

imaginem habet & inscriptio-
 nem? respondentes dixerunt:
 Cæsaris. Et ait illis Iesus: red-
 dite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,
 & quæ sunt Dei, Deo. Ergo
 & ego illis dico, qui mihi ob-
 jiciunt, ostendite mihi dena-
 rium, Iesus Cæsaris denarium
 vidit & ait, reddite Cæsari quæ
 Cæsaris sunt, & quæ Dei sunt,
 Deo. Nunquid de ecclesiæ
 basilicis occupandis possunt
 denarium Cæsari offerre? sed
 in Ecclesia unam imaginem
 novi, h. e. imaginem Dei in-
 visibilis, de qua dixit Deus:

fa-

faciamus hominem ad imagi-
nem & similitudinem nostrā.
 illam imaginem de qua scri-
 ptum est: *quia Christus splen-*
dor glorie & substantie eius.
 In ista imagine patrem cerno,
 sicut dixit ipse Dominus Jesus:
qui me videt, videt & patrē.
 Non enim hæc imago à patre
 est separata, quæ unitatem me
 Trinitatis docuit, dicens: *Ego*
& pater unum sumus, & in-
fra, omnia quæcunque habet
pater, mea sunt, & de Spiritu
S. dicens: quia Spiritus Chri-
sti fit, & de Christo accepit, si-
 cut

cut scriptum est : *ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid igitur non humiliter responsum à nobis est ? Si tributum petit, non negamus. Agri ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat imperator, potestatem habet vendicandorum, nemo nostrum intervenit. Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris invidiam, tollant eos si libitum est. *Imperatori non dono, sed non nego.* Aurum quærunt, possum dicere : Argentum & aurum
non

non quæro. Sed invidiam faciunt, quia aurum erogatur. nec ego hanc invidiam perhorresco, habeo ærarios. *Ærarii (p) mei pauperes Christi sunt*, hunc novi congregare thesaurum. Utinam hoc mihi crimen semper adscribant, quia aurum pauperibus erogatur. Quod si objiciunt, quod defensionem ab iis requiram, non nego, sed etiam ambio, habeo defensionem, sed in orationibus pauperum. Cœci illi & claudi, & debiles, & senes, robustis bellatoribus
for-

fortiores sunt. Denique munera pauperum Deum obligant, quia scriptum est: *qui largitur pauperi, Deo facerit.* Præsidia bellatorum divinam sæpe gratiam non merentur. *Hymnorum quoque meorum carminibus (σ) deceptum populum ferunt.* Plane nec hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius. Quid enim potentius, quam confessio Trinitatis, quæ hodie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, patrem & filium &

& Spiritum S. norunt ver-
 bus prædicare. Facti sunt igi-
 tur omnes magistri, qui vix
 poterant esse discipuli. Quid
 igitur obaudientibus potest
 esse, quam ut Christi seqva-
 mur exemplum, qui specie in-
 ventus ut homo humiliavit
 semetipsum factus obediens
 usque ad mortem? Denique
 omnes per obedientiam libe-
 ravit. *Sicut enim per inobedi-
 entiam unius hominis, pecca-
 tores constituti sunt plurimi:
 ita & per unius obedientiam
 justi constituentur multi. Si*
 er-

ergo ille obediens, accipiant
 obedientiæ magisterium, cui
 nos inhæremus, dicentes iis,
 qui nobis *de imperatore in-
 diam faciunt*: solvimus quæ
 sunt Cesaris Cesari, Et quæ
 sunt Dei Deo. Tributum Cæ-
 saris est, non negatur. Ecclesia
 Dei est, Cesari utique non de-
 bet addici, quia jus Cesaris nõ
 esse potest Dei templum. Quod
 cum honorificentia Imperato-
 ris nemo dictum potest negare.
 Quid enim honorificentius,
 quam ut imperator ecclesiæ
 filius esse dicatur? quod cum
 dici-

dicitur; sine peccato dicitur,
 cum gratia dicitur. *Impera-*
tor enim bonus intra ecclesiã,
 non supra Ecclesiam est, *bo-*
nus enim imperator (?) *quæ-*
rit auxilium ecclesie, non re-
 futat. *Hæc ut humiliter dici-*
mus, ita (v) *contestanter ex-*
ponimus. Sed incendia ali-
 qui, (ψ) *gladium, deportatio-*
nem minantur. Didicimus
 Christi servuli non timere;
 non timentibus nunquam est
 gravis terror. Denique scri-
 ptum est: *Sagittæ infantium*
factæ sunt plagæ eorum. Satis
 igi-

igitur propolitis responsum videtur. Nunc illos interrogo, quod Salvator interrogavit: *Baptismus Johannis de caelo est, an ex hominibus? Et non potuerunt Judaei respondere ei.* Si baptismum Johannis non solverunt Judaei, Auxentius solvit baptismum Christi. Non enim istud ex hominibus est baptismum, sed de caelo, quod detulit nobis consilii magni angelus, ut justificemur Deo. Cur igitur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat, baptiza-

zatos in nomine Trinitatis,
cum Apostolus dicat: una fi-
des, unum baptisma? & se ad-
versarium hominum esse di-
cit, non Christi, cum consili-
um DEI spernat, & conde-
minet baptismum, quod Chri-
stus nobis ad redimenda
nostra peccata do-
navit.



Divi



Divi Ambrosii ad Marcellinam sororem suam, referentis illi, quid in causa de basilicis tradendis actum sit, et in quo statu res ipsa nunc consistat.



Voniam omnibus epistolis fere sollicitate quæris de ecclesia, accipe quid agatur. Postridie quam accepi literas tuas, quibus significaveras, quod te exagitarent somnia tua, moles inquietudinum gravium coepit moveri. Nec jam
Por-

Portiana, hoc est, extramurana basilica petebatur, sed basilica *nova*, hoc est, intramurana, quæ major est. *Conveniunt me primo principes virtutum, viri comites consistoriani, ut & basilicam traderem, & procurarem, ne quid populus turbarum moveret.* Respondi, quod erat ordinis, *templum Dei tradi à Sacerdote non posse.* Acclamatum est sequenti die in ecclesia, *etiam præfectus eo venit, cæpit suadere, ut basilica Portiana cederemus.* Populus reclama-

D vit.

*vit. Ita tunc discessum est, ut
intimaturum se imperatori di-
ceret. Seqventi die, erat au-
tem dominica, post lectiones
atque tractatum, dimissis cat-
echumenis, symbolum ali-
quibus competentibus in ba-
ptisteriis tradebam basilicæ.
Illic nunciatum est mihi com-
perto, quod ad portianam ba-
siliam de palatio decanos
misissent, & vela suspende-
rent, populi partem eo perge-
re. Ego tamen mansi in mu-
nere, missam facere coepi.
Dum offero, raptum cogno-*

vi

vi à populo (x) Castulum quē-
dam, quem presbyterum dice-
rent Arriani. Hunc autem
 in platea offenderant transe-
 untes. Amarissime flere &
 orare in ipsa oblatione Deum
 cœpi, ut subveniret, ne cuius
 sanguis in causa ecclesiæ fie-
 ret, certe ut meus sanguis non
 solum pro salute populi, sed
 etiam pro ipsis impiis effun-
 deretur. Quid multa? mis-
 sis presbyteris & diaconibus
eripui injuriæ virum. (ψ) con-
demnationes illico gravissime
decernuntur, primo in corpus

D 2

omne

omne mercatorum ; Itaque
sanctis diebus hebdomadis ul-
 timæ, quibus solebant debito-
 rum laxari vincula, stridunt
 catenæ, imponuntur collo in-
 nocentium, exiguntur ducen-
 ta pondo auri infra totum tri-
 duum. Respondent aliqui, se-
 tantum aut duplum si pete-
 retur daturos, dummodo ser-
 varent fidem. Erant (ω) ple-
 ni carceres negotiatoribus.
 Palatina omnia officia, h. e.
 memoriales, agentes in re-
 bus, apparitores diversorum
 comitum, temperare à pro-
 cessu

cessu jubentur, specie qua se-
 ditioni interesse prohibeban-
 tur, *bonoratis multa mina-*
bantur gravissima, nisi basi-
 licam traderent. Fervebat
 persecutio, ac si aperuissent
 portam, prorupturi in omne
 facinus videbantur. *conveni-*
or ipse à comitibus & tribunis,
ut basilica fieret matura tra-
ditio, dicentibus, imperatorem
jure suo uti, eo quod in pote-
state ejus essent omnia. Re-
spondi, si à me peteret, quod
meum esset, id est, fundum
meum, argentum meum, jus
 D3 *hujus-*

*hujusmodi meum me non re-
 fragaturum, quancquam o-
 mnia, quæ mea sunt, essent
 pauperum. verum ea, quæ di-
 vina, imperatoriæ potestati
 non esse subjecta. Si patri-
 monium petitur, invadite, si
 corpus, occurram. Vultis in
 vincula rapere, vultis in mor-
 tem, voluptati est mihi. Non
 ego me vallabo circumfusio-
 ne populorum, nec altaria te-
 nebo vitam obsecrans, sed
 pro altaribus gratius immo-
 labor. Horrebam quippe ani-
 mo, cum armatos ad basilicã
 eccle-*

ecclesie occupandam missos co-
gnoscerem, ne dum basilicam
vendicant, aliqua strages fie-
ret, quæ in perniciem totius
vergeret civitatis. Orabam
 ne tantæ urbis vel totius Ita-
 liæ busto superviverem. De-
 testabar invidiam cruoris
 fundendi, offerebam jugu-
 lum meum. Aderant Gotthi
 tribuni, adoriebar eos, dicens:
 propterea vos possessio Ro-
 mana suscepit, ut perturba-
 tionis publicæ vos præbeatis
 ministros? Quo transibitis, si
 hæc deleta fuerint? *exigeba-*

D 4 tur

tur à me, ut compeſcerem populum. Referebam, in meo jure eſſe, ut non excitarem, in Dei manu, ut mitigaret. Poſtremo, ſi me incentorem putarent, jam in me vindicari oportere, vel abduci me in quas vellent terrarum ſolitudines. His dictis illi abierunt, ego in basilica veteri totum exegi diem, inde domum cubitum me recepi, ut ſi quis abducere vellet, inveniret paratum. Ante lucem ubi pedem limine extuli, circumfuſo milite occupatur basilica. Idque à militi-

litibus imperatori dicitur mā-
datum, ut si prodire vellet,
haberet copiam, se tamen
præsto futuros, si viderent e-
um cum catholicis conveni-
re. Alioquin se ad eum cœ-
tum, quem Ambrosius coge-
ret, transituros. Prodire de
Arrianis nullus audebat, quia
nec quisquam de civibus e-
rat, pauci de familia regia,
nonnulli etiam Gotthi. Qui-
bus ut olim plastro sedes e-
rat, ita nunc plastrum ec-
clesia est. Quocunque foe-
mina ista processerit, secum
D 5 suos

suos omnes coetus vehit. *Cir-*
cumfusam basilicam esse gemitu
populi intellexi, sed dum le-
 guntur lectiones, intimatur
 mihi, plenam populi esse basi-
 licam, etiam novam, majorē
 videri plebem, quam omnes
 cum essent liberi, lectorem
 efflagitari. Quid plura? *mi-*
lites ipsi, qui videbantur occu-
 passe basilicam, cognito quod
 praecepissem, ut abstinerentur
 à communionis consortio, *ad*
conventum hunc nostrum ve-
nire cœperunt. Quibus visis
 (Aa) *turbantur mulierum a-*
 ni-

nimi, proripit se una. Ipsita-
 men (Λε) milites se ad oratio-
 nem venisse non ad praelium
 loquebantur. Clamavit a-
 liqua populus, quam mode-
 rate, quam constanter, quam
 fideliter poscebat, ut ad illam
 pergeremus basilicam. In il-
 la quoque basilica fertur quod
 populus praesentiam flagita-
 bat meam. Tunc ego hunc
 adorsus sermonem sum: au-
 distis filii, librum legi Job, qui
 solenni & munere est decur-
 sus & tempore. Scivit & u-
 su hunc librum etiam diabo-
 lus

lus intimidandum, quo virtus
 omnis suæ tentationis aperi-
 tur & proditur. Et ideo se
 hodie motu majore concus-
 sit. Sed gratias Deo nostro,
 qui nos ita firmavit fide atq;
 patientia. Unum Job mi-
 raturus ascenderam, omnes
 Job quos mirarer inveni. *In*
singulis vobis Job revixit, in
singulis sancti illius patientia
& virtus refulsit. Quid e-
 nim præsentius dici potuit à
 Christianis viris, quam id,
 quod hodie in vobis Spiritus
 S. est locutus? *rogamus (Ay)*
Augu-

Auguste, non pugnamus. Non timemus, sed rogamus. Hoc Christianos decet, ut & tranquillitas pacis optetur, & fidei, veritatisq; constantia, nec mortis revocetur periculo. Est enim præsul Dominus, qui salvos faciet sperantes in se. Sed veniamus ad propositas lectiones. Videtis, diabolo tentandi licentiam dari, ut boni probentur. Invidet inimicus bonis profectibus, tentat diversis modis. Tentavit S. Job in patrimonio, tentavit in filiis, tentavit in dolore corpo-

po-

poris. Fortior in suo corpore tentatur, infirmior in alieno. Et mihi meas divitias, quas in vobis habeo, volebat auferre, & hoc tranquillitatis vestrae patrimonium dissipare cupiebat. Vos quoque ipsos mihi bonos filios gestiebat eripere, pro quibus ego quotidie instauro sacrificium. *Vos ruinis quibusdam publice perturbationis conabatur involvere.* Duo igitur jam genera tentationis excepi. Et fortasse quia infirmio rem me Dominus Deus novit, adhuc
in

in corpus meum non dedit
 potestatem, etsi ipse cupiam,
 etsi offeram, adhuc me fortas-
 se huic certamini imparem
 iudicat, & diversis exercet la-
 boribus. Nec Job ab isto
 coepit certamine, sed in hoc
 consummavit. Tentatus est
 autem Job nunciis coacerva-
 tis malorum, tentatus est et-
 iam per mulierem, quæ ait :
Dic aliquod verbum in Deum
& morere. Videtis quanta
 subito moveantur. *Gothi,*
arma, gentiles, multa mer-
catorum, poena sanctorum.
 Ad-

Advertitis, quid jubeatur, cū
mandatur: trade basilicam,
h. e. dic aliquod verbum in
Deum, & morere. Nec so-
lum dic adversus Deum, sed
fac adversus Deum. Manda-
tur: trade altaria Dei. *Ur-
gemur igitur præceptis regali-
bus, sed confirmamur scriptu-
ra sermonibus, quæ respon-
dit: Tanquam una ex incipi-
entibus locuta es. Non me-
diocris igitur ista tentatio.
Namque asperiores tentatio-
nes has esse cognovimus, quæ
fiunt per mulieres. Denique
per*

per Evam etiam Adam sup-
 plantatus est : eoqve factum
 est, ut à mandatis cœlestibus
 deviaret. Quo errore cogni-
 to, prævaricatricis conscien-
 tiæ reus latere cupiebat, sed
 latere non poterat, & ideo a-
 it ei Deus: *Adam ubi es?* h. e.
 quid eras ante, ubi nunc esse
 cœpisti? ubi te constitueram?
 quo ipse transgressus es?
 Agnoscis, te esse nudum, quia
 bonæ indumenta fidei perdi-
 disti. Folia sunt ista, quibus
 nunc velare te quæris. Repu-
 diasti fructum, sub foliis legis
 la-

latere cupis, sed proderis. Recedere à Domino DEO tuo propter unam mulierem desiderasti, propterea fugis, quæ videre quærebas. Cum una muliere te abscondere maluisti, reliquere speculum mundi, incolatum paradisi, gratiam Christi. Quid dicam, quod etiam Heliam Jezabel cruenta persecuta est? quod Johannem Baptistam Herodias fecit occidi? singulæ tamen singulos. Mihi quoque minora longe merita, eo tentamenta graviora. Virtus infirmior,

mior, sed plus periculi. Succedunt sibi mulierum vices, alternantur odia, commenta variantur, seniores conveniuntur, *prætexitur regis injuria*. Quæ ratio igitur est adversus hunc vermiculū moli-ri graviores tentationes, nisi quia non me, sed ecclesiam persequuntur? Mandatur denique: *trade basilicam*. Respondeo. Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere imperator expedit. *Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas aufe-*

auferendam? Allegatur, imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: nolite gravare imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus, scriptum est: quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœniū jus commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse, debeo & ego unam basilicam

filicam habere. Respondi, non
tibi licet illam habere. Quid
tibi cum adultera? adultera
est enim, quæ non est legitimo
Christi conjugio copulata.
Dum hæc tracto, suggestum
est mihi, cortinas regias esse
collectas: Refertam autem
populo basilicam præsentiam
mei poscere, statimq; eo con-
verti sermonem meum, di-
cens: quam alta & profun-
da oracula sunt Spiritus Sancti.
Matutinis horis lectum est,
ut meministis fratres, quod
summo animi dolore respon-
de.

demus : *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam*. Et revera venerunt gentes, & plus etiam quam gentes venerunt. Venerunt enim Gothi, & diversarum nationum viri, venerunt cum armis, & circumfusi occupaverunt basilicam. Hoc nos ignari tuæ altitudinis dolebamus, sed nostra imprudentia aliud opinabatur. Venerunt gentes, sed vere in hereditatem tuam. Qui enim gentes venerunt, facti sunt Christiani, qui ad invadendam

dam hæreditatem venerunt,
 facti sunt cohæredes Dei. De-
 fensores habeo, quos hostes
 putabam, *socios teneo, quos*
adversarios existimabam.
 Completum est illud, quod de
 Domino Jesu David prophe-
 ta cecinit: *quia factus est in*
pace locus ejus, & confregit
cornua arcuum, scutum, &
gladium, & bellum. cuius enim
 hoc munus, cuius opus, nisi
 tuum Domine Jesu? videbas
 ad templum tuum armatos
 venire, hinc gemere populum
 & frequentem adesse, ne basi-
 lica

lica Dei traderetur. Inde vim militibus imperatori ; mortem ante oculos mihi: ne quid inter hæc furori liceret, inferuisti te Domine medium, & fecisti utraqve unum. Compescuisti armatos dicens profecto : Si ad arma concurritur, si in templo meo lis commoveretur, *quæ utilitas in sanguine meo?* Gratias itaque tibi Christe, non legatus, neque nuncius, sed tu domine saluum fecisti populum tuum, concidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia.

Hæc

Hæc ego dicebam, ratus, imperatoris animum, studio militum, obsecratione comitum, precatu populi, posse mitescere. Interea nunciatur mihi, missum notarium, qui mandata deferret. Concessi paululum, mandatum intimat. *Quid tibi visum est, inquit, ut contra placitum faceres? respondi: quid placitum sit ignoro, quidve temere factum dicatur, incertum habeo. Ait: cur presbyteros ad basilicam destinasti? si tyrannus es, scire volo, ut sci-*

E am

am, quemadmodum me ad-
versum te prepararem. Re-
tuli dicens, me nihil in præ-
judicium fecisse ecclesiæ, eo
tempore, quo audieram oc-
cupatam esse à militibus basi-
licam, gemitum tantummodo
liberiores habuisse: multisq;
adhortantibus ut eo perge-
rem dixisse, tradere basilicam
non possum, sed pugnare non
debeo. Postea vero quam
cognoverim, cortinas regias
inde esse sublatas, cum me
populus eo ire deposceret, di-
xisse presbyteros, me ta-
men

men noluisse ire, sed dixisse,
credo in Christo, quod ipse no-
biscum faciet Imperator. Si
 (Ad) *haec tyrannis videtur, ha-*
beo arma, sed in Christi nomi-
ne, habeo offerendi mei corpo-
ris potestatem. Quid mora-
retur ferire, si tyrannum pu-
taret: veteri jure à Sacerdoti-
bus donata imperia non u-
surpata. & vulgo dici, quod
imperatores sacerdotiū ma-
gis optaverint, quam imperi-
um sacerdotes. Christus fu-
git, ne rex fieret. Habemus
tyrannidem nostram. Ty-

rannis Sacerdotis infirmitas est. Cum infirmior, inquit, tunc potens sum. Caveret tamen, ne ipse sibi tyrannum faceret, cui Deus adversarium non excitavit. Non hoc Maximum dicere, quod tyrannus ego sim Valentiniani, qui se meæ legationis objectu queritur ad Italiam non potuisse transire. Addidi, quia (A E) nunquam sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos sepe sunt passi. Exactus est totus ille dies in moerore nostro, scissæ tamen ab illudentibus

tibus

tibus pueris cortinæ regiæ. Ego domum redire non potui, quia circumfusi erant milites, qui basilicam custodiebant: cum fratribus psalmos in ecclesiæ basilica minore diximus. Sequenti die lectus est de more liber Jonæ, quo completo, hunc sermonem adorsus sum. Liber lectus est, fratres, quo prophetur, quod peccatores in poenitentiam revertantur. Acceptum est ita, ut speraretur in præsentem futurum. Addidi, quod vir justus etiam of-

E 3

fen-

tentiam contrahere voluisset,
 ne vel spectaret vel denuncia-
 ret excidium civitati. Et quod
 lugubre esset illud dictum.
 contristatus quoque sit, quod
 aruisset cucurbita. Deum
 quoque dixisse ad prophetam:
Si tristis es pro cucurbita? re-
spondisse Jonam: tristis: di-
xisse Dominum: Si illud do-
leret, quod exusta esset cucur-
bita, quanto magis sibi curae
esse oportere tantae plebis salu-
tem? & ideo excidium quod
 paratum toti urbi fuerat re-
 movisse. Nec mora, nun-
 cia.

ciatur, imperatorem iussisse,
 ut recederent milites de basi-
 lica, negociatoribus quoque,
 quod exacti de condemna-
 tione fuerant, redderetur.

Quæ tunc plebis totius læti-
 tia fuit? qui totius populi
 plausus? quæ gratia? erat au-
 tem dies quo sese Dominus
 pro nobis tradidit, quo in ec-
 clesia poenitentia relaxatur.

Certatim hoc nunciare mili-
 tes, irruentes in altaria, oscu-
 lis significare pacis insigne.

Tunc agnovi quod Deus ver-
 mem antelucanum percusse-

E 4

rat,

rat, ut tota civitas servaretur.
Hæc gesta sunt, atq; utinam
(An) jam finita, sed graviores
motus futuros plena commo-
tionis imperialia verba indi-
cant. Ego tyrannus appel-
 lor, & plus etiam quam ty-
 rannus. Nam cum impe-
 ratorem comites obsecra-
 rent, uti prodiret ad ecclesi-
 am, idque petitu militum fa-
 cere se dicerent, respondit:
Si vobis jusserit Ambrosius,
vinctum me tradetis. Quid
post hanc vocem supersit consi-
dera. Quam vocem omnes
 cohort-

cohortuerunt, sed habet à
 quibus exasperetur. Deni-
 que etiam speciali expresio-
 ne Calligonus prepositus cubi-
 culi mandare mihi ausus est:
 me vivo, tu contemnis Va-
 lentinianum, (A 2) caput tibi
 tollo. Respondi: Deus per-
 mittat tibi ut impleas quod
 minaris. Ego enim patiar
 quod Episcopi, tu facies quod
 spadones. At utinam Domi-
 nus avertat eos ab Ecclesia,
 & in me omnia sua tela con-
 vertant, meo sanguine si-
 tim suam exple-
 ant.

Observationes Ecclesiasticæ

in

Præcedentem S. Ambrosii
Orationem & Episto-
lam.

*a. Quia plus Dominum mundi, quam
seculi hujus Imperatorem timerem.)* Ter-
tull. de idololatria c. 15. Igitur quod atti-
neat ad honores Regum vel Imperatorum,
satis præscriptum habemus, in omni obse-
quio nos esse oportere, secundum Apostoli
præceptum, subditos magistratibus, & prin-
cipibus, & potestatibus, sed intra limites di-
scipline. — Sic & Daniel cetera Dario sub-
nixus, tam diu fuit in officio, quam diu à pe-
riculo discipline vacaret. Nam id ne sub-
iret, non magis leones regios timuit, quam
illi (tres fratres) regios ignes. B. Theodo-
retus in locum Pauli Rom. XIII. v. 1. O-
mnis

mnis animapoteſtatibus ſublimioribus ſub-
dita ſit, ſic commentatur: Sive eſt ſacer-
dos aliquis, ſive antiſtes, (ἀρχιερεὺς) ſive
monaſticam vitam profeſſus, iis cedat, qui-
bus mandati ſunt principatus; clarum eſt
autem, ſi cum pietate. Non enim ſi Dei
præceptis repugnent, Magiſtratibus obſequi
permittitur. Nota hoc etiam contra ex-
emptionem clericorum.

ε. *Coactus repugnare non novi*)
Cum Epicoſopus Neoftadienſis die 22.
Martii Anno 1671, quosdam cives ad ſe
arceſſiſſet, eiſque propoſuiſſet, quod
niſi claves ſponte ſua tradiderint, ad tra-
ditionem earundem poſt breve tempus
eſſent cogendi, reſponderunt illi: *Vo-
lentes ſe jus nunquam deſerturos, coactos
repugnare non poſſe.* Rimand. p. 45.

γ. *Aliter nec debeo, nec poſſum reſi-
ſtere*) Si fletus, gemitus, lachrymæ ſunt
munimenta ſacerdotum, quales illi ſunt
ſacerdotes, qui armis, & violentiis ſuis,
Chriſti fidelibus, fletus, gemitus, lachry-
mas exprimunt, judicent pii & cordati.

δ. *Fugere & relinquere eccleſiam
non ſoleo*) Sanctus Auguſtinus ab Hono-
rato

rato consultus, distincte explicat, quibus, & quomodo fugiendum sit imminente periculo, epistola 180. ubi inter alia ait: *Cur enim sibi putant (qui plebes suas deseruerunt) indifferenter obtemperandum esse praecepto, ubi legunt, de civitate in civitatem esse fugiendum; & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam ei non est cura de ovibus? Cur non istas duas Dominicas verasque sententias, unam scilicet, ubi fuga sinitur & jubetur, alteram, ubi arguitur atque culpatur, sic intelligere student, ut in se reperiantur non esse contraria, sicut non sunt? Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur, quod jam superius disputavi, tunc de locis, in quibus sumus, premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur, aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi. Plura vid. ibid. conf. integrum apologeticum Athanasii de fuga sua, & nota, quomodo S. Vir inimicis fugam exprobrantibus responderit, nimirum: *Εἰ Φαῦλον τὸ Φεύγειν, ποῦλῶ χεῖ-**

χείρον τὸ διώκειν, ὁ μὲν γὰρ, ἵνα μὴ ἀπο-
 θάνῃ, κρύπτεται, ὁ δὲ, διώκει ζητῶν ἀπο-
 κτείναι. *Si malum est fugere, multo pejus*
est persequi: Ille enim abdit se ne occidatur;
hic persequitur, ut occidat. Et post ali-
 γνα: Οὐδεὶς τὸν πρᾶον καὶ Φιλάνθρωπον
 Φεύγει, ἀλλὰ μᾶλλον τὸν ἄγριον καὶ πο-
 νηρὸν ὄντα τὸν τρέπον. *Nemo mansue-*
rum hominem ac benignum fugit, sed fero-
cem, & qui malignis est moribus. Ex Ec-
 clesiasticis Ροσονιενσibus nullus aufugit,
 sed per vim fuerunt expulsi. At cum a-
 pud Rimand. pag. 195. lego, Reiferum &
 Sutorium clam ex urbe deductos, jussu-
 que Episcopi, qui & præfectus cameræ,
 navigio impositos fuisse, recordor, me a-
 pud Socratem Hist. Eccles. lib. 2. c. 16. lege-
 re, Paulum Episcopum quondam Con-
 stantinopolitanum à Philippo Præfecto
 Prætorio clanculum pariter abductum,
 in navem coniectum, & in gratiam Ma-
 cedonii confestim in exiliū missum, Ma-
 cedonium vero militari manu, strictos
 gladios gestante, una cum Philippo sti-
 patum, populo ostentatum fuisse.

ε. *Cum esset propositum, ut ecclesie*
vasa traderemus, hoc responsi reddidi, me,
si de

si de meis aliquid posceretur) Notum est doctis negotium de traditionibus in ecclesia veteri. Ambrosiano ore responderunt etiam Polonienses, qui de sua adversus Imperatorem humillima obedientia adhuc plura adjecerunt, & claris verbis testati fuerunt, se ad claves templorum & scholæ tradendas paratissimos esse, modo præcepta regalia ipsis exhibeantur; probe enim sciverant, invasionem scholæ & ecclesiæ non tam de voluntate benignissimi Regis, quam *astu & Zelo archiepiscopi factam esse.* At vero Zelum sine scientia Paulus reprehendit Rom. X. vid. Reinmundi Rimandi Presburg. Schul- und Kirchen-Verlust / pag. 28. 37. 39. 42. 129. 143. seq.

§. *At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt*) Vulpinam induiti aliquando etiam gentiles, blanditiis & amplis promissionibus inescare studuerunt Christianos. De S. Theodoro Martyre refert S. Gregorius Nyssæ Episcopus T. 3. pag. 583. *Quod iudices ipsi primò gravia cum minis asperrimis ostentarint supplicia, cum vero Theodorus sese tamen nollet submitte-*

mittere, in contrariam rationem mutati sunt, ac benigne cum eo sermocinantes, promissis ipsum subtrahere tentarunt. Et sciro, inquiunt, quod si consilium nostrum obedienter admittere volueris, protinus te ex obscuro nobilem, ex humili despectoque & inglorio, honoratum efficiemus, ac tibi Pontificatus dignitatem promittimus. Ut autem Pontificiam dignitatem nominari audivit ter quaterque beatus ille, cum diu multumque irrisisset, tandem dixit: Ego etiam sacerdotes simulachrorum arumnosos esse judico, & ut vane actionis ministros miseros: τῶν δὲ ἀρχιερέων Ἰησοῦ πλεονάζοντων, pontificum vero multo magis me & miseret, & abominor eosdem, inter malos enim qui major est, ac primum locum tenet, miserior est, ut inter iniustos injustior, ut inter homicidas qui crudelitate ceteros precedit, ut inter lascivos & libidinosos, qui perversior atque potentior est: propterea perniciose promittendi dehinc finem facite. Quinam sint ii, qui & hodie magnificis promissis & pontificiis dignitatibus homines pelliciant, notum est.

Ubi

η. *Ubi non omnia plena gemitus sine atq; lachrymarum*) Vide quælo tractatum Rimandi, & deprehendes, omnia & Posonii & Tyrnavii fuisse plena gemitus atque lachrymarum, eo quod per ecclesias jubebantur ejici Apostolico-Catholici Sacerdotes, resistentes gladio feriri, curiales proscribi omnes, nisi mandatum Archi-Episcopale impleverint, & hæc episcopi manu scripta atque ore dictata. vid. Rimand. p. 154. seq. ubi mandata archiepiscopalia horrido stilo conscripta exhibentur.

θ. *Hereditatem Dionysii qui in exilio in causa fidei defunctus est*) De hoc Dionysio memorat S. Ambrosius l. 10. ep. 82. quod posthabuerit Imperatoris amicitiam exilio voluntario. *Itaq; memorabiles viri (Eusebius & Dionysius) circumdati armis, vallati exercitu, cum raperentur de ecclesia, majore triumphabant de imperio, quia contumelia terrestri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam: quibus militaris armorum strepitus extorquere non potuit fidem: subegerunt bestialis animi feritatem, quæ nocere san-*

sanctis nequit. Sic & Posonienses recte respondere potuerunt: absit, ut tradamus hæreditatem Patrum, hoc est, hæreditatem tot piorum, qui in exilio, in causa fidei defuncti sunt, & hanc ecclesiam suis & civium sumptibus extruxerunt, & certis redditibus dotarunt, quos deinde liberalitas insignium Sacri Romani Imperii Principum & Procerum adauxit: Sed hos redditus omnes misifices nunc sibi vindicarunt v. Rimand. p. 19. 82. qui etiam pag. 19. refert: Episcopum Neostadiensem manus injecisse in bibliothecas Clarissimorum Virorum, Titii, Reiseri & Sutorii: duobus postremis idem episcopus ex singulari indultu, dono quasi concessit duodecim libros ex bibliothecis, proprio ære comparatis; cumque enixis precibus restitutionem bibliothecarum integram peterent, responsum ipsis est, Episcopum, tanquam generosum Magnatem, ex innata munificentia, multum concessisse, sed facile etiam ad indignationem permoveri posse, si plura justo peterentur, pag. 184. 186. En hominem liberalem, qui gratiæ
id

d tibi apponi cupit, si non omnia eripit. En magnificentiam! Venerandi Senioris D. Titii bibliothecam ne quidem oblato pretio passus est redimi, pag. 203. Hoc est præcepta decalogi & nominatim septimum, more Papistico, implere.

1. *Dicunt heretici, quia seditio commovetur*) Hoc idem de Christo & Paulo dixerunt Judæi. *Hoc nimirum* (sic habet paraphrasis Erasmi in cap. 23. Lucæ) *est peculiare crimē Evāgelicæ veritatis, commovet populū, & seditionem movet impiis adversus invisam veritatē insurgentibus. Verum nec hic tumultus imputandus est Evangelii præconibus, sed hominum insanabilē malitiæ, qui veritatem salutiferam obrui malunt, quam morbum animi deponere. Nec enim aliter doctrina Evangelica turbat populū, quam pharmacum concutit corpus. Nisi enim fiat concussio, totum intreat necesse est. Sed revera quandoque etiam seditiones excitatæ fuerunt à plebe, quando episcopi & doctores orthodoxi expellendi erant, quam quidem culpam ipsi præstare nequiverunt. Crebras*
in

in civitate Constantinopoli ortas fuisse
 seditiones scribit Socrates H. E. 2. 12. 13.
 quibus tamen Ariani Sacerdotes ansam
 dederunt, violentis suorum episcopo-
 rum intrusionibus. Cum Imperator
 Constantius Hermogeni Magistro mili-
 tum mandasset, ut Paulum Episcopum
 Constantinopolis orthodoxum exturba-
 ret: Ille quidem totam civitatem com-
 movit, dum Episcopum per vim ejice-
 re conatur. Statim autem populi sedi-
 tio subsequuta est, cunctique parati erant
 Episcopum defendere. Cum autem in-
 staret Hermogenes, ut militari manu
 Paulum expelleret, exacerbata populi
 multitudo, ut in talibus fieri solet, vio-
 lento impetu in illum ruit: domoque e-
 jus incensa, pedibus illum trahentes in-
 teremerunt.

u. *De Templo suo Jesus flagello eji-
 cit, Auxentius gladio*) Ante Auxentium
 idem fecit Gregorius Cappadox, qui du-
 ce Syriano cum quinque millibus mili-
 tum armatorum Alexandriam deductus
 est: Quotquot autem Ariano dogmati
 illic favebant, militibus sese adjunxere.

Jama

*Jam dies, inquit Socrat. l. 2 c. 11. vergebat in
 vesperam: & populus in ecclesia pernocta-
 bat, eo quod collecta expectaretur. Venit
 repente dux, & instructa militum acie ec-
 clesiam obsidet. Gregorium huncce æ-
 mulatus est Constantinopoli Macedo-
 nius, Episcopus itidem Arianus, de cu-
 jus sævitia idem Socrates legendus, lib.
 cit. cap. 27. qui etiam cap. 38. refert, quo-
 modo turba rusticana in Paphlagonia de-
 speratione tanquam telo usa, arreptis
 falcibus & securibus, milites à Macedo-
 nio immisos contrucidavit. Quisnam
 in violenta occupatione templi Posoni-
 ensis Gregorium & Auxentium æmula-
 tus sit, legere est apud Rimandum p. 163.
 Mirum non fuisset, etiamsi plebs contra
 invasorem tale quidpiam pariter tentas-
 set: cui malo Posonienses obviare volue-
 runt, dum paternam Sacræ Cæsareæ &
 Regiæ Majestatis protectionem implo-
 rarunt, ne prævia turbationum & impeti-
 tionum indefessa continuatio inter plebem,
 quæ iteratis jam vicibus turbata, amplius
 ratione vix regi quiret, confusionem, & ex-
 inde*

inde resultantes alias extremitates caussset.
Rimand. p. 93.

λ. *Cruentas leges ore dictans, manu scribens, & putans, quod lex fidem possit hominibus imperare.) Legem tuam (inquit Ambrosius epist. 32. ad Valentinianum Imperatorem) nollem esse supra legem Dei. Dei lex nos docuit, quid sequamur, humanae leges hoc docere non possunt. Extorquere solent timidis commutationem, fidem inspirare non possunt. Tertull. ad Scap. c. 2. Humani juris & naturalis potestatis est, unicuique quod putavit colere: nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quae sponte suscipi debeat, non vi. Augustin. epist. 168. ad Eusebium de Donatistis: Scit Deus, cui manifesta sunt arcana cordis humani, quantum pacem diligo Christianam, tantum me moveri sacrilegis eorum factis, qui in ejus dissensione indigne atque impie perseverant, eumque motum animi mei esse pacificum, neque me id agere, ut ad communionem catholicam quisquam cogatur invitus, sed ut omnibus errantibus aperta veritas declaretur, & per nostram ministrante-*

nisterium, Deo iuvante, manifestata se amplectendam atque sectandam satis ipsa persuadeat. Legant quæso Flamines Pontificii, seu minores, seu maximi, Lactantium divin. Inst. lib. 5. cap. 12. & 20. ubi ait: Non opus est vi & injuria, quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas: distinguant aciem ingeniorum suorum, si ratio eorum vera est, afferatur: parati sumus audire, si doceant. Tacentibus certe nihil credimus, sicut ne severitibus quidem cedimus. Imitentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, ut ipsi objectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo à nobis retinetur invitus. Inutilis est enim Deo, qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente. Doceant isti hoc modo, si quæ illis fiducia veritatis est, loquantur, hiscant, audeant, inquam, disputare aliquo de juremodi: tam profecto ab aniculis, quas contemnant, & à pueris nostratibus error illorum ac stultitia irrideatur. — Nihil tam est voluntarium quam religio: in qua si animus sacrificantis est a-
 ver.

versus, jam sublata, jam nulla est. cap. 21.
 Libet igitur ex his quæerere, cui potissimum
 prestare se putent, cogendo invitos ad sa-
 crificium? Ipsine quos cogunt: At non est
 beneficium, quod ingeritur recusanti, sed
 consulendum est etiam nolentibus, quando,
 quid sit bonum, nesciunt. Cur E. tam cru-
 deliter vexant, cruciant, debilitant, si sal-
 vos volunt? Aut unde pietas tam impia, ut
 eos miseris modis aut perdant, aut inutiles
 faciant, quibus velint esse consultum? An
 vero diis prestant? At non est sacrificium,
 quod exprimitur invito: nisi enim sponte,
 atque ex animo fiat, execratio est: cum ho-
 mines proscriptione, injuriis, carcere, tor-
 mentis adacti faciant. Si dii sunt isti, qui
 sic colantur, vel propter hoc solum colendi
 non sunt, quod sic coli volunt, digni scilicet
 detestatione hominum, quibus cum lacry-
 mis, cum gemitu, cum sanguine de membris
 omnibus fluente libatur. At nos contra
 non expetimus, ut Deum nostrum, qui est
 omnium creator, velint, nolint, colat ali-
 quis invitus, nec, si non coluerit, irascimur.
 Confidimus enim Majestati ejus, qui tam
 contemptum sui possit ulcisci, quam etiam
 servo-

servorum suorum labores & injurias. Et ideo, cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur, sed Deo remittimus ultionem: non ut ii faciunt, qui defensores se deorum suorum videri volunt, & seviunt efferate adversus non colentes. Multa habent in hisce quæ observent illi episcopi, qui non docere, sed tantum intuentatis minis, confiscationibus bonorum, & in exilium deportationibus cogere possunt. Atque utinam tandem illa observarent, nemo profecto esset ex nostratibus, qui ipsos tum propter Christianam mansuetudinem, tum propter familiarum & dignitatum decora, convenienti non afficeret honore.

*μ. Justus autem ex fide vivit.) Et quidem ex fide sola, qua particula exclusiva, adversariis gratiæ Evangelicæ vehementer exosa, mirifice delectatum fuisse S. Ambrosium ex operibus ejus constat. Tria tantum adducemus loca. In comment. ad Rom. c. 3. ad v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, scribit: Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes sola fide justificati sunt**

sunt dono Dei. Et ad v. 5. cap. IV. sic decretum dicit à Deo, ut cessante lege solam fidem gratiæ Dei posceret ad salutem. sicut & David dicit (hoc ipsum munit exemplo Prophetæ.) Beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Beatos dicit, de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore & aliqua observatione, sola fide justificentur apud Deum. In comment. ad I. epist. ad Cor. cap. I. v. 4. Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum salvus sit sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. Idem S. Doctor de gratuita justificatione ad sensum Augustanæ Confessionis persæpe & egregie loquitur, & quidem in exhortatione ad Virg. Non ex operibus, sed ex fide unusquisque justificatur à Deo: sicut enim sortis eventus non est in nostra potestate, sed quem casus attulerit; sic gratia Domini non quasi ex mercedis debito, sed quasi ex voluntate defertur. Lib. 5. de Sacram. cap. 4. O homo, faciem tuam non audebas ad cælum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subito accipiebas gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex

maloservo, factus es bonus filius. Ideo presume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim salvati estis, Apostolus ait. Non ergo hic arrogantia est, sed fides. Predicare, quod acceperis, non est superbia, sed devotio. Lib. 1. de Jacob. & vita beata cap. 6. Sed & illud mihi prodest, quod non justificamur ex operibus legis. Non habeo igitur, unde gloriari in operibus meis possim, non habeo, unde me jactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor, quia justus sum, sed gloriabor, quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccati sum, sed quia remissa mihi sunt peccata. Non gloriabor quia profui, neque quia profuit mihi quisquam, sed quia advocatus pro me apud Patrem Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effusus est.

v. *Cui tractanti quotidie non crediderunt) Plebs enim Mediolanensis in fide orthodoxa longe melius instructa erat, quam ut sibi heterodoxiam Auxentii persuaderi pateretur. Unde etiam factum est, ut Ambrosius auditores suos ab examine controversiarum non semoverit, sed in epistola 32. ad Valentinianum*

num

num Imperatorem diserte scripserit: *Veniant plane si qui sunt* (quos scilicet Auxentius elegit iudices) *ad ecclesiam cum populo, non ut quisquam iudex residat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius ecclesie sacerdote, si audierit illum populus, & putaverit melius disputare, sequatur fidem ejus, non invidebo.* Tractavit etiam episcopus Neostadiensis Pofonii, sed populus, qui aderat, Augustanae Confessionis addictus, non credidit. Rimand. cap. 13. p. 196. refert: Praesidem Camerae conscendisse suggestum sacrum, & initio quidem ob numerositatem auditorum pallore suffusum & timore correptum aliquantisper conticuisse, sed postea brevi sermone de scala Jacobi concionatum, & in Lutheranos invectum, ipsam vero concionem a quibusdam calamo exceptam fuisse. Pervenit copia ejusdem ad manus meas, in cujus perlectione, fateor, duos affectus in animo meo invicem certasse, propensionem nimirum ad risum, & commiserationem; sed posterior prevaluit. Sane, quamvis Illustriss.

Dominum Camerae Praesidem, ob generis splendorem, & dignitatem politicam, sicut etiam alios episcopos ornamentis seculi conspicuos, honorare conveniat, nihilo tamen minus fatendum est, ipsum, hac sua concione prodidisse, quod rerum Theologicarum, & methodi homilevticæ plane sit ignarus: cum autem episcopi tales sint concionatores, qui rusticis nostris rilum excuterent, quid sperandum est de sacerdotibus inferioris dignitatis? Haud abs re igitur in Prologo monuimus, episcopos plerumq; dogmatum Theologicorum non valde esse gnaros: id quod satis clare contestatum reddidit *Georg. Barsonii, Episcopus Vaccensis*, vel quisquis alius est auctor, in scriptiuncula, cui titulum praefixit; *Veritas toti mundo declarata*. Ad iudicium mundi totius provocare, est hominis confidentia plenissimi, qua tamen saepius illi tantum tument, qui malam causam agunt. Suspicari licet, hunc virum ex universo ordine episcopali, vel Jesuitico clericali, tanquam ceteris omnibus doctiorem, vel audaciorum delectum fuisse, qui summa animi contentione malam causam ageret.

geret.

geret. Qua vero fide, vel potius fraude, officio suo fuerit functus, ab aliis jam ostensum est. Certe insulsus & putidus nihil unquam in publicum prodiit, nihilominus tamen indocti istiusmodi scriptores habent, quo sibi applaudant, prohibitione scil. librorum à Protestantibus in sui defensionem editorum. S. Apostolus vult episcopum esse *διδασκων*, id est, idoneum ac paratum ad docendum magis, quam imperiosum. Utinam Dn. Episcopus Neostadiensis aliquando aggressus esset Cl. Reiserum, eumque docuisset, quos & quantos paralogismos in scriptis suis contra Papistas commiserit. Sed, *nunc cogere malumus, quam docere*, scribit Erasmus annotat. in 1. epist. ad Tim. 2. qui etiam ad 1. Cor. 15. pag. 408. de Theologis, indoctorum episcoporum parhedris conqueritur, *quod suis traditionibus obscurent & obruant scintillam charitatis Evangelicæ, idque faciant adeo palam, ut diffisi presidii, quibus ornatos decet esse Theologos, ad violentiam confugiant, quasi cogi possit humanum ingenium, ut aliud credat quam sentiat.* Utinam

*aliquando expurgatur Christus, & hoc
Judaismo atque tyrannide liberet popu-
lum suum. Nisi forte ideo nos redemit suo
sanguine, ut huiusmodi portentis serviamus.*

*ξ. Vos eligite utrum Auxentium
an Paulum sequi debeamus magistrum.)
In simili liceret dicere. Christus ait: Re-
ges gentium dominantur eorum, vos autem
non sic. Papa dicit: Reges gentium domi-
nantur, vos etiam sic. Jesus ait Petro:
Converte gladium in locum suum, omnes e-
nim, qui gladium acceperint, gladio per-
ibunt. Matth. 26. 52. Petri successor ad
sacerdotes suos ait; Educite gladium ex
loco suo, omnes enim qui hoc fecerint, & se-
di apostolice contradicentes trucidaverint,
gladio gratiam merebunt. Vos eligite, u-
trum Jesum an Papam sequi debeamus
magistrum. Sic etiam de Paulo, quid ille
de Justificatione, de bonis operibus, de
Scriptura, de communione sub utraque
docuerit, & quid Papa in contrarium do-
ceat, Posoniensibus & aliis Evangelicis
optime constat; eligant igitur, utrum
hunc an illum sequi debeant? Papa fide-
li populo nullum de rebus fidei permit-
mit*

tit iudicium, cum tamen Dominus clamet per Prophetam: *audite me, populus meus, qui scitis iudicium, quorum in corde lex est mea. Deus dicit, audite me populus meus, qui scitis iudicium. Papa dicit, nescitis iudicium. Videtis, quia jam Deum contemnit in vobis, qui sententiam cœlestis refutat oraculi.* Quid Posoniensibus in hoc statu sit faciendum, monuit in epistola valedictoria Dn. M. Ant. Reiserus, quam ut ipsi conferrent cum epistola Iulii, Episcopi urbis Romæ, post impetratam Athanasii restitutionem, ad populum Alexandrinum scripta, non præterrem optamus, extat autem apud Socrat. H. E. 2. 23. In ædibus privatis, in arceis, sub divo, veri adoratores Deum Patrem, per Christum Filium, in Spiritu & veritate adorare possunt, quando facultas in templis conveniendi ipsis adempta est. *Christiani* (sic scribit ad cap. 25. apologet. Tertull. doctissimus sed Pontificius commentator) *plerumq; conveniebant in arceis, ibiq; orantes cœlum suspiciebant, absq; aris, absq; statuis. Eos igitur Etbnici deridebant, quasi nubes orando numerarent.*

rent. Idcirco Tertullianus absurditatem
absurditate alia refellit. Nos, inquit, nu-
bes numeramus, vos lacunaria templorum
nempe sive capitolorum. Cum sub Va-
lente Eudoxius Arianus pseudo-episco-
pus Constantinopoli ecclesiis potitus fu-
isset, homousiani ἐν μικρῷ οἰκισκῷ in
exigua quadam ædicula intra urbem col-
lectas agebant. Socrat. 4. 1.

o. Conclusus undique ad versutiam
Patrum suorum confugit, de Imperatore
vult invidiam commovere) De hac versu-
tia Arianorum hæc narrat S. Epiphani-
us hæres. 69. Nunc ad alios illorum sermo-
nes orationem confero. In quo primum il-
lud admiratione plenum est, quantam ad
circumveniendos rudes simplices callidita-
tem, ac simulationem adhibeant. Nam ut
Serpens Evam mulierem simplicem decepit:
Ita illi, quos ad partes suas pellicere volunt,
primum blanditiis & munificentia omni-
busq; sedulitatis officiis aggredi solent: tum
pollicitationes ac terrores adjiciunt. Vos
enim, inquiunt, Principis edictis & Impera-
toris voluntati resistitis? Ita eos alloquun-
tur, qui suum ad dogma transire noluerint.

π. Eo

*W. E. non debet Imperator unam basi-
 licam &c.) Festivam historiam de Atha-
 nasio refert Socrat. 2. 23. Cum Imperator
 Constantius Athanasio ecclesiam suam,
 restituisset, his verbis ipsum, suggerenti-
 bus Arianis, S. Episcopum circumvenire
 voluit, dicens: Sedem quidem tuam ex de-
 creto Concilii & ex consensu nostro recupe-
 rasti. Sed quoniam Alexandria quidam ex
 populo tuam communionem refugiunt, sinas
 illos unam in civitate ecclesiam habere. Ad
 hanc petitionem illicò Athanasius respondit
 his verbis: Tuæ potestatis est, Imperator,
 jubere & facere quodcumq; volueris. Ego
 verò à te vicissim beneficium peto ac postu-
 lo, quod mihi concedas velim. Cumq; Impe-
 rator alacri animo daturum se promisisset,
 continuò subjunxit Athanasius, petere se, ut
 idem sibi concederetur, quod Imperator ab
 ipso exegerat. Nam & ipse postulabat, ut per
 singulas civitates una ecclesia tribueretur
 illis, qui Arianorum communionem refugie-
 bant. Cum autem Ariani sententiam Atha-
 nasii suis partibus incommodam esse intelli-
 gerent, id quidem in aliud tempus differen-
 dum esse dixerunt.*

§. *Quorum imitantur magisterium.*)

Fieri poterit, ut nonnulli ex parte aduersariâ has observationes parallelas iniquo ferant animo; quibus autem ex Socr. 4. 36. hanc occinimus historiolum. Cum Moses quidam, pius ac fidelis monachus, Saracenorum episcopus ordinandus esset, eaq; fini ad Lucium episcopum Alexandriae Arianum deduceretur, hunc ipsum Lucium ita allocutus est: Equidem sacerdotio indignum me esse profiteor: verum si Reip. necessitas hoc postulat, nunquam Lucius mihi manum imponet. Ejus enim dextra sanguine adhuc stillat. Cumq; Lucius diceret, abstinendum esse à conviciis, decere potius, ut ex ipso disceret religionis dogmata: Tum Moses, at non jam, inquit, ratio exigitur dogmatum: nam facinora, quæ aduersus fratres perpetrasti, satis ostendunt, quam Christiana habeas dogmata. Christianus enim non percutit, non conviciatur, non pugnat: quippe seruum Dei pugnare non decet. At tua facta, tanquam voce emissa clamant per eos, qui in exilium missi, qui bestiis traditi, qui incendio consumti sunt. Ea porro, quæ

quæ oculis conspiciuntur, longè plus valent ad convincendum, quàm ea, quæ auditione accipiuntur. Alii, qui rem exactiùs perpendent, dicent fortassis, Episcopos Hungariæ in lectione antiquorum ecclesiæ Doctorum, quorum consensum Romanensis cœtus frequenter jactat, probè versatos, hæc quoque opuscula Ambrosiana studiosè legisse, secumq; decrevisse, reformationem Hungaricam eo ritu & aggredi, & perficere, quem quidem Ambrosius in Auxentio non laudârit, in opere tamen suo tanquam Doctor Catholicus calamo consignârit.

σ. *Erarii mei pauperes Christi sunt.*) Hodiè sunt nepotes, agnati & affines. vid. tractatum de Nepotismo Romano.

τ. *Hymnorum quoq; meorum carminibus deceptum populum ferunt.*) Paganos tempore Juliani non potuisse ferre cantunculas & psalmos Christianorum contra sculptilia, narrat B. Theodoret. *Histor. Eccles.* l. 3. cap. 6. & 14. al. 17. Thuan. 620. p. 413. narrat, Anno 1558. Lutetiæ Parisiorum tumultum excitatum fuisse, ob conciones psalmorum vernaculorum. *Eodem*

dem tempore, scribit, dum tristibus undiq;
nunciis ab externo hoste cuncta circumso-
nant, ne à domesticis tumultibus interea ces-
saretur, Lutetia sub vesperam, cum multitu-
do hominum animi laxandi causa, ut fit, in
scholasticum vulgò dictum campum extra
Sangermanum suburbium convenisset, pau-
si ex iis, qui protestantium religioni addicti
erant, cum numero crescente eorum audacia,
inambulantes Davidis Psalmos Gallicis ver-
sibus canere cœperunt. Id industriâ factum,
qui avitæ religionis studio teuebantur, cre-
didere, ut rei novitate, quæ in levibus animis
plurimum potest, & cantus suavitate com-
plures ad se allicerent: neq; omnino suâ opi-
nionem falsi sunt, nam tum ferè turba, quæ
aderat, ludos omittere, ac se in canentium
numerum aggregare, & psalmos unâ canere.
Sequentibus verò diebus major turba eodem
convenit, & in his Antonius, Navarra Rex,
& Joanna Uxor, jam de religione suspecta.
Id sacer ordo ægerrimè tulit, quod eam in-
ventam rationem dicerent, quæ sacra publica
vetustissimo instituto à Romana Ecclesia
matrice accepto, lingua latina peragi solita,
nunc eo sermone expressa, quem quivis è vul-

go caperet, contemnere plebs assuesceret. Itaq; res tanquam seditionis plena ad Regem defertur, cujus jussu qvæstio in ejus auctores decernitur, ac ne hujusmodi conventus in posterum fiant, & cantiones publicè celebrentur, capite sancitur. Qvis non miretur & in coelum usqve extollat sapientiam longè excedentem.

v. *Bonus enim Imperator.*) Quàm bonus sit Augustissimus Imperator noster, vel ex eo patere potest, quòd Magnati cuidam petenti, ut unius tantummodo Lutherani Posoniensis caput amputari jubeat, gloriosissimè, benignissimè, & christianissimè responderit, sibi non volupe esse, manus in sanguine humano lavare. Rimand. p. 74. Quomodo enim (ait non nemo ibid. pag. 223. rectissimè) iste, qui monarcharum in orbe justissimus, pacis amantissimus, mansuetissimus & mitissimus est, sanguinis innocii profusione delectari posset. Ritè igitur & ordine fecerunt cives & incolæ Posonienses, Augustanæ Confessionis addicti, quod, post quingvemes tres, tam diurnas quàm nocturnas conscientiarum & cordium tribulationes acerbissimas, ab episcopali

palibus Tyrnavii illatas, ad thronum Sacre
 Cesaree & Regie Majestatis appellarint,
 masculè profesli, se malle in clementissimis
 Heri & Domini sui manus incidere, quippe
 cujus justitia & misericordia magna sit,
 quam scil. in manus Episcoporum, quod
 planè horribile est. ib. p. 130.

Φ. *Hec ut humiliter dicimus, ita conte-
 stanter exponimus.*) Sic etiam Posonien-
 ses, quibus adversarii de Imperatore sem-
 per invidiam fecerunt, humiliter quidem
 supplicarunt, pro conservandis schola &
 templis, sed simul etiam contestanter ex-
 posuerunt, se non modò tributum, sed
 nec bona, fundos, prædia, ipsas etiam sa-
 crorum ædificiorum substructiones, quin
 & vitæ prodigos, sanguinem petenti Re-
 gi suo non negaturos. quid igitur obau-
 dientius potest esse? Rimand. pag. 30. 35. 101.

χ. *Sed incendia aliqui, gladium, depor-
 tationem minantur.*) Similia egit Mace-
 donius Pseudo-Episcopus Constantino-
 politanus apud Socrat. Hist. Eccl. l. 2. cap.
 27. Rimand. pag. 24. 43. narrat, quod Je-
 suitæ de publicis suggestibus, & plebeji
 quotidiè minati fuerint, se Evangelicis
 do-

domos, vineas, templa scholamqve ere-
pturos. p. 188. seq. Quam avidè bonis fisco
addictis in Hungaria inhient Jesuitæ, ape-
ruit *Pbilad. de novo lacu* in pr. epist. de mo-
dern. Jesuitarū morib. Episcopus Neostad.
nunciari curat Reifero & Sutorio, nī Po-
sonio excedere velint, se ipsos catenis fer-
reis onustos ad triremes damnaturum, &
sub custodia lictorum & carnificis depor-
taturum. de aliis horribilibus commina-
tionibus episcopaliū v. ib. p. 35. 74.

ψ. *Raptum cognovi Castulum quendam,*
quem Presbyterū dicerent Ariani.) In Rha-
psodia relationis Francofurtensis Luthe-
ranis Posoniensibus exprobratur, quod
hominem quendam capitularem & regi-
um medium corripuerint, & de scalis
scholæ deturbaverint, sed amicus Riman-
di, qui putida adversariorum mendacia
graviter refutavit, contra commemorat,
quod, cum *Stephanus Vattaji* demanda-
tum sibi id esse à S. Cæsarea Majestate
commentus, scholæ possessionem sibi
vindicare vellet, aliquotiens ut discederet
blandè commonitus, sine ulla læsione ex-
tra scholam gestatus, cumq; alterâ vice
redi-

redire vellet, repentino hominum concursu, sexus præsertim fœminei, ab ulteriore congressu remotus & prohibitus, nullo modo verò (ut quidē inimici & ipse Archiepiscopus perhibebant) læsus fuerit, quemadmodum ipsimet Posonienses ad S. Majest. Cæsar. retulerunt, vid. Rimand. pag. 92. 97. 122. 130. 146. 218. nec non Colloquium Freymundi & Treuliebii.

ω. Condemnationes illicitò gravissimæ decernuntur.) Rimand. p. 66. refert, quod in citatos Tyrnavium cives Posonienses Lutheranos, ex nota infidelitatis, gravissima condemnatio de amissione capitū & bonorum in aula Pontificis decreta fuerit.

Aα. Itaq; sanctis diebus hebdomadis ultime, quibus solebant debitorum laxari vincula, stridunt catene.) Gesta hæc fuerunt Mediolani omnia partim ante Dominicam Palmarum, partim in die dominica Palmarum, partim septimanâ magnâ, attestante Baronio ad A. C. 387. n. 18. conveniebat etenim, ut tempore illo sacro hæc talia ab imitatorib; Præsulum Judaeorum peragerentur. Paucos ante annos ferias sacras eadem crudelitate profanaverat Georgius Cappadox, Episcopus A-
ria.

rianorum, de quo Athan. in Apol. de tuga
 sua scribit: *Inde venerunt (Ariani sc.) Ale-*
xandriam, iterum me quærentes ad necem.
Et quæ tū gesta sunt, longè pejora fuere prio-
ribus. Milites n. repente Ecclesiam circumde-
derunt, & in orationis locum successit præliū.
Post hæc Georgius, qui ex Cappadocia ab
ipsis missus fuerat, quadragesimæ tempore
superveniens, scelera, quæ ab ipsis didicerat,
adauxit. Nam post octavas paschæ virgines
in carcerē trudebantur; episcopi à militibus
ducebantur vinculis constricti; pupillorum vi-
duarumq; ædes & annonæ diripiebantur; ir-
ruptiones in domos factæ: Christiani noctu
ad tumulum deportati: Obsignabantur do-
mus, & clericorum fratres pro fratribus suis
periclitabantur. Gravia quidem ista: sed mul-
tò graviora fuere, quæ postea commissa sunt.
Hebdomade n. quæ est post sanctam Penteco-
stem, populus cum jejunasset, orationis causa
egressus est ad cæmeterium, eo quod omnes
communione cū Georgio aversarentur. Quod
ubi didicit nequissimus Georgius, Sebastianū
ducem, sectæ Manichæum, adversus eos insti-
gat. Ille cum multitudine militū armorū,
gladios distinctos arcusq; & tela gestantium,
impetu factō in populū irruit die dominico:
 pau-

*paucisq; inventis, qui orationi vacabant, pleriq; enim ob tempus diei jam discesserant, talia gessit, qualia decuit eum agere, qui Arianis parebat. Quænam ab Episcopis Hungaricis tempore quadragesimali, Dominica Palmarum, septimana magna, usq;ve ad ferias pentecostales, & post illas, fuerint peracta, legere est apud Rimanum cap. 5. seqq. Veniam, ni fallor, apud bonos & æquos haud ægre obtineret is, qui facta temporum & gestorum collatione, diceret, non temere quondam Erasmus in præfat. ad lector. paraphr. in Evangelium Matth. scripsisse: *Habet & nunc Christus Judeos suos, qui non ferunt illius luce obscurari suum Moysen. Habet Scribas & Phariseos, qui insidientur. Et utinam non habeat plures quam duos Annam & Caipham. Habet Iscariotas suos, qui sanguinem innoxium pecunia vendant. It. in paraphr. c. 14. Mar. Nullus hostis capitalior Jesu, quam impius Pontifex. Interim qui inter sacerdotes primum dignitatis locum tenebant, quorum ut quisq; primus erat autoritate, ita ceteros superabat impietate; cumq; his reliquum concilium, ne**

vide-

viderentur homicidæ potius, quam læse pietatis ultores, venantur aliquod testimonium adversus Jesum, ut eum ad mortem adigerent. Cap. 15. Nec alibi valet talium Pontificum autoritas, quam ad excitandos Principes ac populos adversus veritatem Evangelii.

AB Erant pleni carceres.) Sub publica custodia vigilum, cives Posonienses Tyrnaviam vocati, in curiam tanquam captivi abducti fuerunt; ipso etiam Vener. Titio, Seniore inter ministros Ecclesiæ Evangelicæ, à reliquis Posoniensibus sejuncto, & frustra separationem illam deprecante, in conclave quoddam aulæ pontificiæ! valde incommodum per scalam portatilem ascendere coacto. Rimand. p. 66. seq. Durius habiti duodecim ex Posoniensium numero: hos enim die 14. Junii de nocte hora nona, præfectus urbis de mandato Principis sacerdotum in tenebricosum, impurum, & fœtidum carcerem deduxit, ibique ac si sceleratissimi essent malefici, sub custodia haberi mandavit: factum inde, ut unus ex ipsorum ordine, ex intolerabili fœtore, metu, & egritudine animi, repentino correptus morbo, vitam

Scholæ ad mandatum Episcopi Neostad.
 in carcerem inhonestum fuerunt missi.
 Rimand. p. 70. qui carcer convenienter
lacus leonum appellatur; qua appellatio-
 tione historia Danielis eisdem in men-
 tem potuit revocari. Cum vero dicti mi-
 nistri Ecclesiæ rogarent, ut in honestio-
 rem locum includerentur, ipse episcopus
 ira valde commotus, quæsiuit ex Præto-
 re Urbano, annon carcer aliquis illo adhuc
 deterior inveniretur? Rimand. pag.
 170. seq. Intercessione tamen Magnatum
 quorundam mitior factus episcopus, Mi-
 nistros in locum honestiorem deduci iussit.
 Quid vetat, quo minus credamus, captivos
 illos sese illo loco Johannæo consolatos
 fuisse: *Qui in captivitatem duxerit, in ca-
 ptivitatem vadet, & qui gladio occiderit, o-
 portet eum gladio occidi. Hic est patientia &
 fides sanctorum.* Apocal. 13. 10. Tempore S. Jo.
 Chrysofomi, Heraclides Ephesinorum
 Episcopus in iudicium fuit vocatus, quod
 quosdam injuste verberasset, & catenis vin-
 ctos per mediam Ephesinorum urbem tradu-
 xisset, ut est apud Socrat. l. 6. c. 17. Sed
 nunc omnia, quæ olim in episcopis dam-
 naban-

nabantur, eximie laudantur; tam observantes scilicet sunt canonum Ecclesiasticorum episcopi Papæi.

A. 7. Quibus visis turbantur mulierum animi.) Mulierum in persecutione Posoniensi quæ fuerint partes, relatio Rimandi, & colloquium Freymundi docent.

Ad. Ipsi tamen milites se ad orationem venisse.) Die 18. Aprilis, quæ erat secunda feria Paschatis, sat multi milites religioni Evangelicæ addicti, in templum venerunt, & post confessionem peccatorum absolutionem petierunt; quorum advento civibus primo ad sinisteriores suspiciones, postea vero ad sacrum quoddam Paschale gaudium ansam dedit; Ipso etiam festo Paschatis, sacris operari concessum fuerat Lutheranis, Illustrissimo Comite Nigrelli militibus suis serio injungente, ne molestiam Sacra peracturis crearent. Rimand. p. 5.

A. E. Rogamus Auguste, non pugnamus.) Supplicationes Evangelicorum ad Augustum per intima misericordie Dei viscera, & per omnia Jesu Christi vulnera, & decantatissimam S. Cæsareæ Majestatis mansuetudinem

*linem & clementiam, adeoque verbis quæ-
sitissimis conceptas, penetrantissimis su-
spiriis stipatas, & profusissimis lachrymis
madefactas, legere poterit pius quilibet
cap. II. tractatus Rimandiani.*

*A. Si hæc tyrannis videtur, habeo
arma, sed in Christi nomine, habeo offerendi
corporis mei potestatem.)* Archi-episco-
pus Arigoniensis cum asseclis, eadem fide,
Posoniensibus rebellionem objecit, qua
tyrannidem Ambrosio quondam objece-
runt Ariomanitæ. Neque vero rebellio-
num & seditionum duntaxat Posonienses
insimulavit Archi-episcopus, sed quod di-
ctu & auditu horrendum est, minis & aliis
molestiis gravissimis, contra jus naturæ
& gentium ab ipsis extorquere voluit, ut
homines innocentes, literis manu pro-
pria subscriptis, faterentur, se contra S.
Cæsaream Majestatem rebellasse. Rim.
p. 59. 73. 74. quo petito quid possit esse
iniq̄vius, ego non video, neque credo, ul-
los barbaros & Christiani nominis hostes
tale quid unquam postulasse. Quomodo
enim, quæso te, per Deum immortalem, il-
li cives rebelles sese esse publice profiteri
debe-

deberent, qui in diversis sacratissime Cæsareæ Majestatis literis ob fidelitatem insigniter commendati erant; qui contra Tartaros & Turcas fortiter pugnarant; & propterea coram ipsa Cæsarea Majestate fidem suam & obedientiam allegare minime reformidabant? vid. Rimand. pag. 80 82. 200. 222. Sed quid expectes ab episcopis partis Romanæ, quibus solenne est, Actorum & Judicum partes simul agere, quod non tantum pag. 47. & pag. 127. seq. à Posoniensibus dicitur, sed etiam p. 151. in literis, ut vocant, intercessionalibus Magnificorum Dominorum Legatorum, Ratisbonæ congregatorum, haud obscure confirmatur. Queruntur Posonienses, se ab adversario suo Archiepiscopo non præeunte ulla causæ cognitione fuisse condemnatos p. 145. Et sane, si præcipitatum Episcopaliū sententiam, (de qua etiam p. 24. & 124.) diligenter cōsideres, manu statim palpabis, Christianis veteribus æquiores nonnunquam obtigisse Judices, id quod ex epistola Plinii ad Imper. Trajan. & alia T. Æ. Hadriani, ad Minucium Fundanum, harum rerum curiosus discere poterit: utramque episto-

epistolam, cum aliis ejusdem argumenti, erudito commentario illustravit Gerard. Joan. Vossius. Sed quicquid dicant, episcopi de seditione & rebellione, respondere poterunt nostrates ex Tertulliano ad Scap. cap. 2. *Sic & circa Majestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiani, nec Nigriani, vel Cassiani, (Nadaftiani, Frangipani, Tetenbachiani) inveniri potuerunt Christiani (Lutherani) sed iidem ipsi, qui per genios eorum (per divos demortuos) in pridie usq; juraverant, qui pro salute eorum hostias (incruentas) & fecerant & voverant, qui Christianos (Lutheranos) saepe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus (Lutheranus) nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, ac revereatur, honoret, & salvum velit cum toto Romano Imperio, quousq; seculum stabit, tamdiu enim stabit.*

An. *Nunquam sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos saepe sunt passi.*) Sed nostris quidem temporibus nullos truculentiores passa est orthodoxa Ecclesia tyran-

G

nos,

nos, quam sacerdotes haud paucos ex
 coetu Romanensi: uno tantum exemplo,
 nam de Hungaricis nunc flebimus, id
 nunc comprobatum dabimus. Cardi-
 nalis Santandreas, (verbis utor
 Thuani l. 3. hist.) jam rerum potens, qui
 proregem in potestate habebat, & obsi-
 dis loco, quod levitati ipsius parum fide-
 ret, filium in arce Santandrea asserva-
 bat, per totum regnum libere discursare,
 & in Lutheri doctrinae suspectos, quo-
 rum jam magnus numerus in Scotia e-
 rat, inquirere, immisiss ex ordine sacro
 accusatoribus, atque in primis contra Geor-
 gium Sophocardium, concionatorem
 populo acceptissimum, qui VIII. ab E-
 dinburgo milliaribus apud Joan. Coc-
 burnum diversabatur: sed cum Cocbur-
 nus, de eo tradendo à Cardinali sollici-
 tatus, moras neccere, Cardinalis cum
 prorege intempesta nocte improvisus
 eo venit, omnibusque aditibus obles-
 sis, nihil tamen efficere potuit, do-
 nec Jacobus Heburnus Betueliae Co-
 mes è propinqua villa à Cardinali evoca-
 tus, à Cocburno impetravit, ut Georgi-

us ipsi dederetur, fide data, se ab omni damno & injuria eum defensurum. Sed mox tamen contra fidem datam Georgius in manus Ecclesiasticorum traditur, & Edimburgo Fanum - Andreae transfertur. Prorex à Davide Hamiltonio Præstoniano monitus, ut Georgio fidem servaret, eumque è manibus inimicorum eriperet, ad Cardinalem scribit, mandatque, ne judicium præcipitaret, sed rem integram servaret usque ad suum adventum, quo responso accepto, Cardinalis eum non dubitaret, si diutius cunctaretur, virum vulgo gratiosum judicio ereptum iri, Georgium è carcere producit, & festinato judicio ad mortem damnandum curat. Cum Joan. Viniramus Georgio æquior Cardinalem ejus nomine rogaret, ut sacri corporis & sanguinis communio permetteretur, re cum Episcopis consultata, ex eorum sententia respondit, non videri æquum, ut pertinax hæreticus ab Ecclesia damnatus, ullis Ecclesiæ beneficiis frueretur. Ad supplicium ductus, cum in pyra extructa

ad palum staret, & Cardinalis ex adver-
 sa fenestra tapetibus & stragulis sericis
 & pulvillis ornata, spectaculo frueretur,
 jam ardente flamma, hortante Georgi-
 um præfecto, ut bono animo esset, hæc
 quidem flamma, inquit ille, corpori mo-
 lesta est, ceterum animum minime fran-
 git. At qui nos ex editiore loco tam
 superbe despicit, intra paucos dies quam
 nunc arroganter, tam ignominiose ja-
 cebit. Hæc loqvēti fune obstricto vox in-
 terclusa est, nec vaticinio exitus defuit.
 Nam Cardinalis, quam ecclesiasticis (ob
 tyrannidem scilicet & truculentiam)
 carus, tam nobilitati & populo odiosus,
 cum Normanno Lessio, viro de se mul-
 tis officiis optime merito, ob rem levem
 tunc forte in contentionem incidit, &
 cumque re litigiosa ægre cessisset Lessi-
 us, ac post aliquot menses promissa re-
 peteret, è sermone in altercationem, ac
 postremo in convicia inciderunt, infe-
 stissimisque animis utrinque discessum
 est. Lessius, qui se fraude circumscri-
 ptum dolebat, de injuria apud suos ex-
 postu-

postulans, facile eos induxit, ut in Cardinalis eadem conjurarent. Conscii in arcem ingrediuntur, ostio pulsato, editisqve nominibus, incolumitate etiam promissa, introducti in cubiculum, tementem multis vulneribus confodiunt. Amici, qui in civitate erant, ad famam vix excitati, cum tumultuose ad arma clamantes accurrerent, Lessius, ut tumultum sedaret, corpus exanime omnium oculis exponi jubet, in illa ipsa fenestra, ex qua nuper Sophocardi supplicium latus spectaverat: ita verum illius vaticinium fuisse eventu comprobatum est. Hæc Thuan. Quot hic justissimæ talionis ~~deia~~ animadvertere licet? fidem fregit, fracta est eidem; sacro viatico Georgius ut procuraretur, inhibuit Cardinalis, cujus nec ipse tanquam indignissimus compos fieri potuit, sed in flagranti irarum & furiarum adversus orthodoxos æstu concidit; oculos pavit immani spectaculo, ad consimile spectaculum jam præparatus. Veteres Christiani (attestante Athenagora) ne quidem

G 3

dem fontium supplicia aspicere sustinebant; sed novi illi Christiani, qui tamen de antiquitate semper gloriantur, supplicia infontium & procurant, & iisdem tanquam amœnis spectaculis fruuntur. Infelicem exitum hostium ecclesiæ Belarminus agnoscit pro nota veræ ecclesiæ, neque ea in re hac vice eidem refragabimur.

A. 8. *Caput tibi tollo.*) Episcopus Neostadiensis, Collonitschius, Præpositus Camerae, adjuncto ministrorum Ecclesiæ, homini afflictæ admodum valetudinis, dixit; gulam tibi, parve nebulo, suspendio frangam. Rimandus p. 172.

A. 1. *Hæc gesta sunt, atque utinam jam finita.*) Sic & nos optamus, sed graviores motus futuros plena commotionis episcopalia verba indicant. Non temere autor colloqvii aliquotiens citati, lit. B. conjicit, Episcopos Hungariæ forsitan & in Germania habere fratres, qui eadē adversus Lutheranos coqvāt cōsilia. Quod si episcopi Vaccensis, hujus n. perhibetur scriptiuncula superius citata, ratio-

rationes, in sese quidem futiles, exercitium religionis in Hungaria subvertere potuerunt, eadē etiā fortassis instrumentū pacis conscindere possent, si quidem ipsis auscultandum, & axioma illud Theologorum Papisticorum reproduendum foret: *Haeticis non est servanda fides.* Hoc certe accepi à viro fide digno, qui narravit, Episcopum quendam Tyrnavii constitutum alicui Pastori Lutherano in os dixisse, ipsum quidem loco nunc suo motum, tanquam Germanum in Germania sedem reperturum, sed hoc gaudium nec ipsi nec aliis fore diuturnum & solidum, recitato festivo apologo: Fuerunt, inquit, duo fratres, unus religiosus, alter deliciis mundanis deditus. Cum vero religiosus illum alterum saepe frustra ad aliam vitam cohortatus fuisset, tandem aliquando ipsi persuasit, ut ad se inviseret, fide data, se eum præter voluntatem non detenturum. Paruit ille, cumque antrum quoddam, cui desuper prærupta imminabant saxa, subiisset, saxis illis subito egres-

egressus fuit occlusus. Querulanti huic,
 & fidem fratris imploranti respon-
 det religiosus, ob animæ salutem se eum
 decepisse, bono igitur sit animo, & quod
 supersit vitæ, cultui divino vacet. Sic
 etiam (ita habebat affabulatio ab episco-
 po data) vobis aliquando omnia ubi-
 que latibula vestra, sed in commodum
 vestrum sempiternum, obstruentur.
 Arrigite aures, vos Evangelici. Deus
 prohibeat & avertat mala istiusmodi
 consilia, & ecclesiam suam potenter tue-
 atur & protegat! Nos interea cum Po-
 soniensibus (quorum preces lege apud
 Rimand. pag. 82. 83. 85. 88. 139. & alibi.)
 reddemus Cæsari, quæ Cæsaris esse didi-
 cimus, ac pro augustissimo Imperatore
 nostro Deum orabimus, ut ad secunda
 vota progressus secundum etiam & fœ-
 cundum habeat conjugium; fidelem se-
 natum; fortes exercitus; populum
 quietum, quo nos omnes vitam agere
 possimus tranquillam, in omni pie-
 tate & honestate.

Epigram-

Epigramma

ad S. Cæs. & Reg. Majest.

Multa Tibi debet, Cæsar fortis-
tissime, multum

Gratatur Patriæ Portio
grata Tibi.

Fac Tibi Grex parvus, Cæsar
mitissime, tantum

Debeat, ex omni parte bea-
tuseris!

SOLI DEO GLORIA.



Epigramma

ad S. Carl. & Reg. Marcell.

Adula tibi debet, Caesar for-

estime, virtutibus

Carminum, Paris, homo

grata tibi.

Fac tibi, Rex, dorum, Caesar

virtutibus, virtutibus


Debet, ex omni parte, de-


betur!

Soll' Deo Gloria

1688







Ung II 261


ULB Halle
005 704 065


3



1017

2





2
D. AMBROSII IN
AUXENTIUM

De

Basilicis traden-

dis invehentiis, suosq; ad
constantiam exhor-

tantis

ORATIO,

Nec Non

ad Marcellinam Sororem

EPISTOLA:

Observationibus Ecclesiasti-
cis & Parallelis illustrata:

ab

L. V. S. L. I. E. E. S. V. P.

Antiquitatis & Orthodoxiæ

Studio.

WITTEBERGÆ,

ampibus Hæred. D. TOBIÆ MEVII

& ELERDI SCHUMACHERI,

ypis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typ.

ANNO M. DC. LXXIV.